SANCTO PAULO APOSTOLO DOCTORI GENTIUM, DISSERTATIONES

IN EPISTOLAM AD ROMANOS,

PRÆSIDE

R. P. JOSEPHO HARTZHEIM

Soc. JESU,

Ss. Theol. Doct. & Professore publico,

Gymnasii Tricoronati Regente,

publicæ crisi subjectas

In Aula publica Gymnasii Tricoronati

d. d.

FRANCISCUS HUBIN Leodiensis

AA. LL. ac Philos. Magister, Ss. Script. Candidatus.

Anno M.DCCXXXIX. Septembris Die 9. hora 4 pomerid.

COLONIÆ, Typis Caspari Drimborn in Platea lata.

PROOEMIUM.

§. I. S. Pauli genus studia

TArsus (a) Ciliciæ Metropolis, Romani Juris civitas, orbi dedit Saulum, (qui subin & PAULUS gratiore Romanis auribus voce vel in Procos: Pauli gratiam nuncupatus fuit) gente Israelitem, è sanguine (b) Benjaminæo prognatum. Hæc cùm ex ore Pauli tanquam organo divini Spiritûs acceperimus, fabulas Ebionitarum, qui eum Legi Mosaicæ ideo infestum fingebant, quod ex parentibus paganis proselytus esset, cum S. Epiphanio (c) facile spernemus; & Hieronymus (d) senior correxit, quæ junior scripserat (e) de Giscala Galilææ oppido Paulo natali è Patria philosophicis, immò scientiarum omnium studiis celebrata supra Athenas & Alexandriam teste Strabone (e) coævo, popularium more adolescens profectus est græcarum disciplinarum copiam aliquam jam nactus, Hierosolymam Gamaliele Magistro divinorum codicum intelligentiam & interpretationem hausturus. Eminebant ea in schola placita sectæ pharisæorum præ Sadducæis & Essæis, cui in speciem austeriori & tenaciori litteræ Mosaicæ totum se addixit (g) Paulus: & (h) Pharisæum se christianus profitetur coram Synedrio ob commune dogma de spe mortuorum ad vitam revocandorum: quo spectat elegans alluſio ad Etymon vocis dum se v. 1. c. 1. h. e. inscribit *segregatum in Evangelium Dei* docendum; in Syriaco דאתפרש, Pharisæum, selectum, electum feliciori dogmati vulgando... Linguis gentium omnium, quotquot portus Corinthiacus, commune eo sæculo Afris, Asiaticis & Europæis emporium noverat, Deo dante loquebatur: quarum elegantias non ignoravit, sed despexit, & præ mysteriorum magnitudine, dogmatum cœlestium novitate & excellentia supra omne id, quod Roma & Athenæ & Solyma hactenus noverat, coactus est, & novas voces fingere sensui pares, & tropos allegoriasque adhibere ad eam diem inauditas.

(a) Act. xxi 39. xxii. 3
(b) hac Ep. xi. 1.
(c) Hæres. xxx. c. 17.
(d) in Philem. ℣. 23.
(e) L. xiv. Greg. pag. 771.
(f) Act. xxvi 4.
(g) ibid. 5.
(h) Act. xxiii 6.

§. II. Conversio ad Christũ Apostolatus, cælibatus.

Synagogæ tuendæ insano æstu abreptus Stephano & Christianis quotquot noverat accusandis, capiendis, & cædendis non intererat solùm, sed & præerat ultro: quando miserante Domino Jesu, quem persequebatur, prostratus (i) & interioris gratiæ suavissimâ efficaciâ, non tamen suè exteriori Ananiæ ministerio immutatus baptizatur, anno á morte Domini primo exeunte. Gentium Apostolus ἐθνῶν ἀπόστολος h. e. xi. 13. ἀνδρομαχικῶς, jure audit: eâ tamen caritatis discretæ ubertate, ut gentium baptizatarum fide *carnem suam* provocare, & *ex iis aliquos salvare* vehementer optet. Virginem, nedum cælibem eundem fuisse graviores & plures ex PP. censent apud Massutium (k) Neque Valla, Erasmus, Luther, Beza aut Grotius quidquam è sacris Litteris protulerunt, quo non acerrimè confutarentur. *Volo enim omnes* (l) *vos esse sicut meipsum ... Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Primùm ex hoc loco colligit (m) Augustinus Paulum, quamvis maritum faciamus, perfectæ continentiæ lege se obstrinxisse, quod nec Erasmus diffiteri audet; sed suadere aut persuadere id puri Verbi Divini Ministro nulli potuit. *Probabilius* tamen videtur Roterodamensi quidvis Paulum fuisse quàm Virginem. Quid ergo Erasme! volebat Paulus omnes esse maritos aut viduos, cùm eos *sui similes* esse volebat? respondet: non ab statu vitæ sed ab animi tranquillitate exemplum esse, ad quod incitat Apostolus. Intelligo; genera vitæ conjugalis, viduæ, virginis tibi & Joviniano forsan æqualia sunt! at Paulo Virgo *beatior*, & *Domino gratior* hoc capite dicitur. Tentaverat Lutherus Erasmo duce ex innuptis, ἀγάμοις in prim. version. N. T. facere viduos, quo Paulum viduum & non virginem faceret: **Ich sag zwar den Wittwen und Wittwinnen**. sed ab Emsero dedoctus inter 607. loca N. T. abs Luthero adulterata, truncata, inversa & anno 1528. restituta antiquæ & sinceræ lectioni, correxit **den Ledigen**: posteriori typo... Biblia Norimbergensia Germanica 1483. Typo Koburger. **aber ich sage den ungeweheilten und den Wittwen. Gut ist im, ob sie beleyben also als auch ich.** Colon. german. circa 1470. **Ever ick sage alduß den ungehylgeden en den Wedewen (quet is dat en of sy also blivent als ock ick.** Habebat Paulus potestatem exemplo (mm) Christi, mulieris (n) sororis circumducendæ, cujus liberali sumptu aleretur, nec tamen eâ usus est: sed licentiâ mirâ Lutherus ex sorore uxorem facit, adeoque *ducenda* nedum circumducendæ, potestatem tribuit. **Haben wir nit auch Macht eine Schwester zum Weibe mit umbher zu führen.** hoc jam non est verbum Dei vertere sed evertere. Succurrit Grotius (p) Innuptus ex vi vocis est, tam qui nunquam in conjugio fuit, quàm cui periit conjugium: sed in posteriore sensu hic usurpat Paulus, ut viduarum τοῖς χήραις addita mentio nos docet ..... solebant Judæi uxores suas appellare *Sorores* ob communem originem ... Christiani autem ob communem fidem ... igitur γυναῖκα *mulierem* rectius hic accipitur non de matronis talibus, quales olim comitatæ Christum fuerant hujusmodi argumentatione à genere ad speciem, si Scholasticorum aut Patrum quis usus fuisset, quam amplam Satyræ materiam Grotio & Erasmo dedisset? nunc pueriles hi paralogismi sunt pura puta verbi divini interpretatio, nempe apud Acatholicos: similes enim habent sua labra lactucas, ut ajebat ille. Catholica est illa prima editio Coloniensis brevibus sed profectò Catholicis notis aucta, quam describo. **Hebben wy dan niet Gewalt de Suster eynwiff (das is eyn eynige gelovige Matrone) umb to uoren (uns Nottrofft to leueren)**

(i) Act. ix. 3. 7. &c. xxii: 5. &c.
(k) cap. ix. vit. S. Pauli.
(l) ad Corinth. vii. 1. 9.
(m) de oper monach. c. xxxiii.
(mm) Lucæ viii. 2. 3.
(n) 1. ad Cor ix. 5.
(o) Edit. Witteberg. 1543. durch Hanß Luft.
(p) in annotationibus in utrumque locum.

§. III. Ætas & mors Pauli

Cùm certius indicium ætatis Paulinæ non habeamus eâ oratione, quæ Tomo VI. inter opera Chrysostomi, falsa licet, refertur, statuamus eum anno 68. ætatis, Neronis Augusti xii. Christianæ æræ veræ lxv.; æræ nunc vulgatæ undeseptuagesimo (q) Coss. Nerva & Vestino (à quo anno ad Consulatum duorum Geminorum (sub quibus in crucem actus fuit D. N. J. C.) anni

(q) Franc. Pagi in breviario Pontif. Rom. Tom. i. p. 7.

anni sex & triginta numerantur) sanguine fuso obsignasse Evangelium, quod per annos 35. coram gentibus & Regibus terræ prædicaverat. Annos igitur natus 33. Christo vocanti se dedit, recens adhuc à cæde condiscipuli sui Stephani, cui Νεανίας (r) interfuit. Pythagoræ autem apud Laertium, & Xenophont. Pædagog. 7. vir est νεανίας ἀνήρ. aliis eâ voce strenuus & protervus potiùs quàm juvenis (s) vocatur: Augustinus (t) Tricenarius juventutem indeptus sibi videtur. Vulgatus *adolescentem* tunc Saulum dicit: adolescentia autem Ciceroni & bonis autoribus latinis usque ad quadragesimum annum porrigitur. Pace Scripturæ igitur stat Chronologia nostra.

(r) Act. VII. 58.
(s) Stephan in Thesauro Ling. græcæ
(t) L. VII. confess. c. XI. & L. VIII. c. 1.

Inter quatuordecim Canone Ecclesiastico receptas Epistolas primo loco collocatur in antiquissimis & plurimis codicibus græcis, latinis ea, quam ad Romanos scripsit, ex urbe Corintho per Tertium Amanuensem, Neronis Augusti anno secundo, qui æræ vulgatæ 58. correspondet. Hæc ex cap. ult. h. e. ex 2da ad Corinthios, ex cap. XX. actuum collegit (u) Bonfrerius. Causam, cur hæc in fronte collocetur, ex tempore reddere non possumus, neque aliam necessariam legimus: acquiescimus hac verosimili, ob argumenti magnitudinem & excellentiam aliis Epistolis prælatam fuisse. Ad sensum genuinum & nativum libri præsertim polemici certissima via est interpretum & criticorum omnium judicio hæc, ut hostium, qui dedocendi, confutandi & corrigendi sunt, sententia dignoscatur. Hoc pacto Augustinus, Manichæos, Donatistas, Pelagianos impugnans, cùm alius ac alius tironibus, hæreticarum fraudium rudibus videtur, viris in hac arena exercitatis constans sibique & Catholico dogmati undique consentiens deprehenditur: simili crisi Augustinus (x) Paulum Jacobo conciliavit; eadem operâ Paulus Judæ, & Petri secundæ Epistolæ, & Johannis primæ consentire demonstratur: unde conficitur non falsas solùm sed imperitas, insulsas & blasphemas esse calumnias, quas Lutherus in Divum Jacobum evomit. Nempe his Canonicis epistolis damnatur SOLA fides justificans, ergo contradicunt Paulo: ergo delendæ sunt è canone librorum θεοπνευστων. Quidquid enim non sapit *Martino*, id illicò Verbum Dei non est. credite id Lutherani, & salvi eritis. Pauli autem intentio quæ fuerit ex Augustino (y) & Haymone discamus, & eâ veluti regula certa investigemus sensum Litteræ, quod unum hoc anno agimus " Orta est contentio inter Judæos credentes & gentiles etiam ad " fidem concurrentes. Judæi propter sanctos P. P., à quibus originem ducebant, & propter " legem, quam soli inter cæteras gentes acceperant, despiciebant gentiles venientes ad fidem, " utpote idololatriæ superstitioni hactenus deditos, dicentes, propter observationem Legis cui " servierant, meruisse Gratiam Christi, Fidémque Evangelii. Econtra gentiles præferebant se " nihilo minus Judæis, improperantes eis mortem Filii Dei, simúlque protestabantur, se idolis " obsequium venerationis minimè exhibuisse, si Legis præcepta aut Prophetarum oracula habuis- " sent. Omnibus his igitur præbuit se Paulus Apostolus medium, omnes illorum contentiones " destruens, quæ in prologo hujus Epistolæ narrantur, & quasi bonus Concionator extentâ manu " illos alloquens, omnes ad unam concordiam adduxit, ostendens nullum eorum suis meritis " esse salvatum, sed per Gratiam JESU Christi, quia omnes Judæi & gentiles sub peccato tene- " bantur.

§. IV. Scripta Pauli.
(u) prælo- quii c. VII. sect. XIV.
(x) de lib. arbitr. c. 7. & l. 83. quæst. qu. 76.
(y). L. 1. ad Simplician. qu. 2. Haymo & sub Primasii & sub Anselmi nomine editus

Commentatores hæc Epistola multos habuit, etsi adeò difficilis; ut illam aquilam ingeniorum Augustinum lucis magnitudine velut obruerit. Enumerantur hi ab Possèvino, Cornelio Cornelii à Lapide, & à Calmeto(z) editionis novissimæ, quibus addimus ex nostro gremio vel antè omnino ignotos, vel eo saltem nomine non salutatos,

§. V. Commentatores
(z) Augustæ Vindelic. 1728 Tom. 1 Biblioth. sacræ p. 134. 135. 137.

WERNERUM ROLEWINCK Carthusiæ Coloniensis Alumnum eruditissimum, inter cujus complura volumina MSS. extat Commentarius in folio in Epistolam hanc: inchoatur his verbis: *Doctrina Pauli Apostoli omni veritate* ... finitur his: *quatenus per hæc tua cooperante Gratia ad cœlestem gloriam pervenire mereamur per Dominum N.* Obiit 1502. VII. Kal. Sept. ætat. 77.

GERARDUM MATTHISIUM Geldrum Ss. Th. D. Canonicum Metropoliticum & Professorem Scripturæ in hac Universitate, cujus Commentaria in Ep. h. prodiere 1562. in 8. pp. 758. certat in eo Græcæ Latinæve linguæ notitia cum polemicâ scientia. Obiit 1522. 11. April.

ANONYMUM Interpretem omnium S. Pauli Epistolarum, qui extat in Bibliotheca R.R. P.P. Carthusianorum Coloniæ Litt. O. Numero 15.

ANTONIUM à KONINXSTEIN ex Minoribus de Observantia, Guardianum Brulensem: qui inter alia edidit enarrationes in h. e 1556. in 8. pp. 275. Coloniæ apud hæredes Arnoldi Birckmanni. Obiit 1541.

DIONYSIUM à RICKEL Carthusianum Censuræ Theologorum Coloniensium submiserat anno 1530. Carolus Dux Geldriæ & Juliæ, Comes Zutphaniæ, cui Decanus & MM. S. F. Theologicæ renuntiarunt Commentarios in Paulinas Epistolas præ aliis edendos: vid. præfat. in Comment. Dionysii Carthusiani in omnes Pauli Epistolas pag. 1ma 1533. Coloniæ apud Petrum Quentell.

BARTHOLOMÆUM FIBUS è Soc. JEsu Ss. Th. Doctorem: cujus est interpretatio Augustiniana & Polemica h. E. in folio Coloniæ sumptu & typo Joannis Wilhelmi Friessem pag. 802. Obiit 1706. 13. Februarii.

CORNELIUM CORNELII à LAPIDE Bucholdia, Leodiensis Diœcesis oppidum, mundo dedit: sed Gymnas nostra Tricoronata bonis artibus omnibus excoluit ac Magisterii demum Laurea bene meritum donavit 1584. 7. Martii: cujus inter locupletissimos sacræ Scripturæ Commentarios eminet hujus Epistolæ interpretatio nempe primogenitus partus tanti parentis: imò interpretum, quos secundo millenario vidimus, primogenitus, hebraicâ phrasi, id est robustissimus, plenissimus.

SUM-

SUMMA DISSERTATIONUM
In hanc Epistolam.

Diss. 1. Quo sensu Christus sit prædestinatus Filius Dei?

Τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει. c. 1. ℣. 3. qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Nos placet Chrysostomi & sectatorum expositio quod ὁρισθέντος sit idem ac qui *agnitus* ostensus declaratus Filius Dei per virtutem patratorum mirorum, per Spiritum sanctum in omnes gentes diffusum, per revocatos ad vitam mortuos: primùm enim nuspiam in N. T. eo significatu hæc vox accipitur. 2. ea expositio necessaria non est. 3. Latini vulgati interpretis versio & etymon græcæ vocis, & plurium antiquorum (a) PP. & veræ Theologiæ congruentior est. Nec enim omnes geniti semine Davidico secundùm carnem, sed hic Mariæ filius factus ex semine David secundùm carnem libero æterno gratiosæ divinæ voluntatis decreto destinatus est, ut esset filius Dei: atqui inter omnes humano generi collatas gratias ea summa & celsissima est Judice (b) Augustino, quod ipse Dominus gloriæ in quantum homo, factus sit Dei filius: prædestinatus igitur eatenus fuit. Temerè igitur & imperitè Novatores hic allatrârunt vulgatam latinam versionem, quæ supra vulgus Grammaticorum eruditum autorem habuit.

(a) apud Suarez Disp. 1. Sect. 2. Tom. 1. in 3. P.

(b) Tract. 105. in Johan. & de prædestin. SS. c. 15.

Diss. 2. Quo sensu Paulus Habacuc Prophetiam sibi vendicet?

Aliis verbis Hebræus, aliis Græcus LXX., aliâ occasione, alio fine Propheta Habacuc edidit eam, quam Paulus ℣. 17. hujus cap. & ad Galat. III. 11. ad Hebr. x. 38. laudavit sententiam. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. Ille enim temporariæ vitæ felicitatem & libertatem à Cyro Israelitis promittebat, Paulus vitam gratiæ ex fide in Christum suspensam, sperandam omnibus asserebat. Non est igitur hic Prophetia eventu firmata probatáque; sed accommodatio & comparatio inter duo facta quadamtenus similia. Hujus modi ratiocinio omnes pæne V. T. prophetias à Paulo in N. T. traductas elevant, de gradu prophetiarum dejiciunt, & in meras parabolas aut allegorias poeticas transformant Neoterici Rabbinizantes. Nos contra potiori jure pronuntiamus Paulum Hebræum, synagogæ & Rabbinorum sui sæculi & Scribarum scripturæ interpretum peritissimum vetus Testamentum sensu proprio, Prophetis noto, viso & intento semper citasse: eoque inexpugnabili *ad hominem* Israelitam argumento plenam fidem meruisse & extorsisse à popularibus suis doctissimis. Varietas grammaticæ inter paulinam, & LXX., & Hebr. Lectionem non obstant identitati sensûs ejusdem à Paulo & ab Habacuco percepti & scripti. Cyri, qui Christi typum apud Prophetas non casu sed numine dictante gerit, Liberatoris Israelitarum officium occasio fuit Prophetæ prænoscendæ divinitus & prænuntiandæ vitæ meliori *per Fidem* in Messiam consequendæ.

Diss. 3. Dei ignorantia an extra culpam sit?

Ex hominum mentibus notitiam summæ æternæque naturæ ac potentiæ Dei delere vel eximere nec Epicurus, nec Lucretius, nec Spinoza, nec Stepticorum vel Academicorum quisquam potuit aut poterit. Tantâ enim luce se visendam præbuit semper Divinitas omnibus extra Israelitididem, ut ignorantiæ excusandæ ne umbra relicta sit, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους ℣. 20. c. 1. Eos porro, qui agnitam illam præstantissimam naturam debitâ pietate non coluerit, ἀσυνέτους, μωραινθῆναι, amentes, excordes, & stolidos bipedes Paulus compellat. Igitur nullâ hypothesi reali, sed solâ mentis præcisione nititur distinctio peccati *in Philosophicum* & *Theologicum* ex doctrina beati Thomæ: à (c) Theologis consideratur peccatum, secundùm quod est offensa contra Deum: à Philosophro autem morali, secundùm quod contrariatur rationi." Mens enim rationalis," licet (d) carcerē corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus & concupiscentiis evigorata, licet falsis Diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, - tam Dei quâm suî notitiam effugere non potest. Sectæ illæ litteratorum Atheorum nec (e) in China nec in ulla mundi regione, sed in solo Dictionario Bælii existunt. Accuratiores & posteriores Historiographi nullam nationem, nullum hominem sobriâ & sanâ mente Atheum hactenus detexerunt. - Perversis factis & cupiditatibus ut quisque sceleratissimus indulget, Deum esse nollet: sed ultra procedere sibique persuadere aut à casu aut à cæca materia aut ex nihilo aut se sibi sui causam fuisse stultus, inanis conatus est. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν... ἐμωράνθησαν.

(c) 1. 2. q. 71. a. 6. ad 5.

(d) Tertull. apologetici § XVII.

(e) Tournemine reflexions sur l'atheisme.

Diss. 4. Spes non relata ad Deum dilectum quo præmio digna?

Iis, qui secundùm patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam pollicetur Paulus ℣. 7. c. II. etiam peccanti? cùm enim hic quærens hoc actu se nec actu nec virtute referat ad Deum summè bonum, videatur cuipiam primi præcepti prævaricator omissâ actuum singulorum devotione & consecratione summo bono præstanda. Quesnellus amplius ausus est, & negavit spem esse (f) in Deo ibi, ubi non est amor Dei. Tum Deum non coronare (g) nisi caritatem censuit: eum qui ex alio motivo impulsive currat, in vanum currere. Utrumque errorem Emin. Bissy Tomo 2do Tract. Theologici, serenissimus (h) Cameracensis & P. Fontana Constitut. Unig. Theol. propugnata: parte 2. plenissimâ autoritatum & rationum mole oppresserunt: Nobis Tridentini PP. audiendi veluti germani & à Spiritu S. constituti interpretes Paulinæ doctrinæ hoc loco & c. VIII. 18. I. ad Cor. IX. 23. XV. 58. ad Coloss. III. 24. II. ad Timoth. IV. 8. & copiosissimè ad Hebræos c. X. XI. si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. Canon est XXXI. Sess. VI. & Canon XXVI. Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta expectare & sperare æternam retributionem à Deo per ejus misericordiam & J. C. meritum

(f) prop. 57 inter 101. damnatas

(g) prop. 55. ibid.

(h) Instruction Pastorale 1734. Edit. Paris. de lege referendi omnis & singuli actus ad motivum caritatis.

anathem

anathema sit. Si nec his te feriri aut concludi putas, obstruet omnem effugii portam Alexander VIII. Hac XIII. inter 31. proscriptâ: Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur; i nunc, & distingue vitium sperantis à vitio spei.

Diss. 5. Infidelium opera qualia Catholicis & hæreticis qualia visa.

Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt. II. 14. Pelagius sub Hieronymi nomine olim latens ex hoc loco colligebat gentes solius naturalis luminis & virium præsidio totam Legem observare posse. Ambrosiaster interpretatur gentes jam baptismo tinctas opus Legis præstare, dum credunt in Christum; cui *Naturâ duce* credendum esse judicarunt. Augustinus (i) de gentibus Evangelio imbutis, quarum natura per gratiam sancta sit, accipit. Contra Origenes, Chrysostomus Theodoret. Theophyl. Oecumenius *Gentes* intelligunt eo sensu, quo Judæis & Christianis eo sæculo, & in scriptis Apostolicis nuncupantur, fide veri Dei destitutas, actiones quaspiam patrare pares honestate iis, quas Judæi Legis Mosaicæ beneficio docebantur. Ex his quatuor interpretationibus prima est erronea; tres reliquæ Catholicæ, sed quarta, quam S. Augustinus refert & non (k) improbat, Paulino ratiocinio, & scopo capitis 2di & institutæ antithesi inter gentes & Judæos longe aptior videtur, cæterùm Luthero ea displicet, & Calvino (l) & Jansenio (m) qui duo postremi trium sæculorum patres græcos utpote suo erroneo systemati adversantes maluerunt accusare ut Pelagianos, quàm eorum sententiam calculo suo approbare; & mirè sibi placent in ℣. 23. XIV. h. E. præter litteram obtorto collo huc rapto: *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum esse.* Unde Yprensis argumentatur, *Solam* (n) *absentiam fidei sufficere, ut omnia opera infidelium vera peccata sint.* Nec moratur Bajum aut Jansenium aut Nicolium aut Quesnellum Canon. VII. & anathema Concilii Tridentini Sess. VI. vel Pontifices Romani vel Paulus: hoc solo discrimine ab ducibus suis diversos, quod Jansenistæ Suarezium vel Molinam vel Lessium impugnare se scilicet ajant: at meliori fide Calvinus & Luther & Asseclæ sinceriores Catholicæ Ecclesiæ vel Papistarum dogmatibus contradicere se profiteantur.

(i) L. IV. contra Julian. c. III. de spir. & litt. c. 16.
(k) c. 27. de spir. & litt.
(l) Instit. II. c. II.
(m) Proœmii c. XXVII.
(n) L. IV. de statu nat. lapsæ c. III. p. 544.

Diss. 6. Meritum operum bonorum ex Paulo & ore inimicorum assertum.

Articulus sextus Confess. Augustanæ est hic: Item docent: quòd fides illa debeat bonos fructus parere, & quòd oporteat bona opera mandata à Deo, facere propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera justificationem coram Deo mereri. Nunquam Catholica Ecclesia docuit promeritam abs peccatoribus justificationem: justificatis autem vitam cœlestem uti præmium, mercedem, denarium, coronam justitiæ & opera bona reddendam Christus & Paulus cap. II. ℣. 6. 7. *Reddet unicuique secundùm opera ejus.* c. VIII. 17. 24. 25. tam multis tam luculentis & evidentibus demonstravêre, ut Melanchton (o) ipsius Architectus Confess. August. (quam innumeris locis & modis quoad vixit resarcire, attemperare atque expolire sategit) hunc articulum corrigere hoc pacto coactus fuerit. In reconciliatis postea bona opera, cùm placeant fide propter Mediatorem, merentur præmia spiritualia & corporalia in hac vita & post hanc vitam, sicut clarè ostendit parabola de negotiantibus. Bucerus, quem (p) antididagmate eruditissimo castigaverat errantem Illmum nostrum Capitulum Metropoliticum, subin pro locorum & temporum opportunitate & ea denuò docuit, quæ puer apud Catholicos didicerat. Si SS. Patres ait (q) aut alii intelligant per *mereri*, facere ex fide gratiæ Dei bona opera, quibus Deus mercedem promisit & rependit, hoc sensu usurpare illud verbum minimè damnabimus. Demum Grotius ad art. VI. Conf. Aug. laudat Trident. Sess. VI. cap. XVI. & Canon XXVI. docens. Bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus proponendam vitam æternam & tanquam gratiam filiis Dei per C. J. misericorditer promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddendam. Audiamus nunc Calvinum contra solem obloquentem veluti communi hominum sensu destitutum, dum hæc commentatur: *Stulta consequentia ex mercede statuere meritum.* Durum est tibi, O Geneva, contra stimulum calcitrare!

(o) in locis commun.
(p) Antididagmatis p. XXIII. anno 1545.
(q) in disputatis Ratisponæ 1546.
(r) in annotatis ad consult. Cassandri.
(s) Comment. in hanc epist. Genevæ 1557.

Diss. 7. Justificationis gratuitæ Catholica expositio

C. III. 28. λογιζόμεθα οὖν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. Arbitramur enim per fidem justificari hominem sinè operibus Legis. Demonstraverat hactenus Paulus nullo extra & ante gratiam Christi patrato opere Romanum Græcum, nullo Mosaicæ Legis ritu opere Sacramentove Judæum fuisse justificatum, unde fluebat hæc conclusio, citra utraque opera hominem fide justificari: At Luthero sic vertere placuit: **So halten wir es nu/ daß der Mensch gerecht werde/ on des Gesetzes Werck allein durch den Glauben. 1. allein** *per Fidem solam:* addidit Lutherus de suo cerebro ad verbum Dei: 2do hoc additamento adulteravit tabulas divinas. 3tio Doctrinæ Paulinæ suam spuriam erroneam supposuit vel illevit: 4to suæ corruptelæ nullum alium autorem (s) habet quàm Simonem, quàm Valentinum quàm Eunomium Hæresiarchas Epiphanio & Augustino olim damnatos. 5to. Paulus ultra fidem postulat ab justificando spem h. E. VIII. 24. pœnitentiam, II. 4. ut exhibeant membra sua servire justitiæ in sanctificationem ... veteris hominis crucifixonem VI. 19. 6. suscipiendum Sacramentum Baptismi VI. 3. ab justificatis vult justificationem Legis impleri & non secundùm carnem ambulari, vivi; jubet, spiritu facta carnis mortificent, & compatiantur Christo, ut conglorificentur VIII. 4. 13. 17. universum denique Decalogum præstandum XIII. 9. 10. ... hoccine est soli fidei incubantem justificari? Quid est mentiri Spiritu sancto, venditare sua commenta popello pro verbo Dei si hoc non est? Eckius, Wicelius, Staphylus, Cochlæus, Hoogstratus monuerant Lutherum & bonos cre-

S. Irenæus l. I. c. XX. August. de hæres. c. 54.

dulosque asseclas fœdæ & apertissimæ depravationis scripturæ divinæ? respondit Lutherus baptizari, sperare, & quodvis demum hoc aliud nihil porro esse quàm credere: cui responso cum Catholici acquiescere nollent, conscendit Cathedram Wittebergensem Doctor nempe Martinus & *indignus Evangelistes D. N. J. C.* edicitque (t) hunc articulum: solâ fide nos justificari, immotum & perpetuum constitutum invitis omnibus Cæsaribus & Pontificibus, quos ideo inferno igne "cremandos præsagit. Hunc esse suum Lutheri imò divini Spiritûs afflatum & verum sanctum "Evangelium. Dum crapulam edormit & exhalat Enthusiastes: dicimus *gratis* (u) ideo justificari impium ex perpetuo Catholicæ Ecclesiæ sensu, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur. Si fides non obstat gratuitæ justificationi, τῷ δωρεὰν, cur pœnitentia? cur baptismus? cur veteris hominis crucifixio? Hæccine Pharisæorum Mosaica aut Ethnicorum Socratica opera sunt, quibus Paulus opponit fidem?

(t) Tomo 6. Witteberg. p. 165.

(u) Trid. sess. VI. cap. VIII.

Diss. 8. Qualis fides justificet?

Non tot metamorphoses finxit Ovidius, quot subiit SOLA illa *fides Lutheri*! Paulo & Catholicis officium fidei videbatur esse, ut intelligentiam omnem captivam duceret in obsequium Christi, quod cap. IV. exemplo Abrahami firmissimo assensu ea, quæ omnes naturæ limites transcendunt credentis docet: at Lutherus ex fide fiduciam & si vis caritatem & omnia demum facit, nihil ut minus solitarium sit quàm illa sola fides. Contrà Paulus fide accedere nos ostendit ad gratiam justificantem: in ea collocatos gloriari ob spem: spe erigi ad patientiam nec pudori suffundi, eo quod insuper caritas sit in cor nostrum effusa. verùm ut sola sit fides, an una est? imò triplex, sæculo XVI. enata, ut olim tricorpor Geryon & triceps Hecate: quare corrigendus Paulus, qui nonnisi *unam fidem*, prorsus uti unam spem, unum Spiritum, unum Dominum Ephesiis (x) annuntiavit, nec injuriâ Lutherus quintus aut decimus quintus Evangelistes Evangelii per XV. sæcula ignoti salutabitur. Cujusmodi autem est ex illis tribus fidibus justificatrix? Paulus Abrahamum justificatum dicit habitâ fide Deo, promittenti effœto seniculo semen, quo omnes gentes, ipsêque adeò Abrahamus, benedicendæ justificandæ & salvandæ erant: nos porro (qui promissum semen jam datum orbi novimus) justificandos, dum in eum, (y) qui JEsum C. ob delicta nostra sanguine suo expianda synagogæ traditum excitavit è sepulchro, credamus. Certè à baptizandis aut clavium potestate liberandis nec aliam nec minorem exegit unquam Ecclesia, quàm comprehensam symbolo Apostolico: quanquam eo & historica, & miracula, & peccatorum remittendorum aliorúmque donorum promissio pari firmitate & necessitate & efficacia profitenda includantur. Novatores eâ duntaxat fide justos fieri pronuntiant, quâ singuli sua peccata per Christum sibi condonata deo loquenti credunt. At Deus singulis nec visus, nec locutus, nec pollicitus est id de quo quæritur? credere igitur fide divinâ singuli suam sanctimoniam sine teste Deo tam non possunt, quàm sinè oculis videre aut audire sinè auribus. Una, omnium divinorum verborum implicita; distincta autem symboli Apost. fides est via & medium ἁπλῶς ex rerum naturâ necessarium & sufficiens adulto justificando & justificato, quia est fundamentum & radix omnium actuum, quibus ab operibus pravis ante justificationem receditur, & bonorum operum fructus post justificationem proferentur. Eadem una est fides viva fœcunda per caritatem operans, quam Paulus & Jacobus uno spiritu ducti, Ecclesiæ tradiderunt.

(x) c. IV. 4. 5.

(y) IIII. 24. 25.

Dissert. 9. an & qui circumcisæ carnis sacramento justi effecti Abrahamidæ?

Beatitudo remissi peccati *in circumcisione tantùm manet an etiam in præputio*! V. 9. c. IV. respondeant, qui solâ circumcisione carnis patratâ citra fidem in Christum justos fieri se putant, sed errant: cùm Abraham præputiatus justificatus fuerit, & pater omnium credentium, præputiati sint an circumcisi, nil interest, nuncupatus. Hæc Pauli argumentatio ostendit ritui illi neutiquam alligatum fuisse donum justitiæ, cum non adipiscendæ sed indeptæ signum in hoc Patriarcha extiterit. Nec Abrahamidis datum fuit fœdus circumcidendorum marium tanquam signum efficax & præditum vi cœlesti ad originis culpam delendam, quanquam maximis viris aliter videatur ex versione 70. virali v. 14. c. XVII. Geneseos. Nos equidem loci hebræa vel latina vulgatâ lectione freti censemus *negantem* Paulino systemati congruentiorem, & ob fidem administrantis Sacramenta & sacrificia Aaronitica, non verò *ex opere* quod ajunt *operato* justificatos Israelitas dicimus, edocti à PP. Concilii œcumenici (z) Florentini: Novæ Legis Sacramenta multum differre à Sacramentis antiquæ Legis; illa enim non causabant gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

(z) Decreto ad Armenos Tom. IX. concilior. Harduini. p. 437.

Utrum ex fide Abraha probetur fides justificans?

Quorsum autem Paulo exemplum Abrahæ? qui ante centesimum annum justus fuisse, nec tum primùm ob fidem promissi Isaaci Dei amicitiam nactus videtur. Tum verò objecta materia, proles effœtis parentibus nascitura, nihil pertinet ad id, quod justificandis credendum Paulus hic dictat. Non est igitur Abraham idoneum prototypon vel pater nostrûm credentium... Respondemus *primò*: ad eum diem idololatram non fuisse Abrahamum, quanquam gravissimi autores dissentiant; fidem tamen, quam centenarius oraculo divino habuit, specie similem & eandem ei fuisse, quâ *primam justitiam* fuit consecutus; unde sequitur, quocunque demum tempore fide integrâ totius cordis & firmissimâ Deum loquentem adoraverit, hujus beneficio justum coram Deo reputatum & æstimatum fuisse. *Secundò*: Objectum eidem in Isaaco fuisse Christum & jam oculo fidei visum, & miro gaudio prægustatum Christus ipse testis est apud Joannem VIII. 56. "Crediderat enim Abraham (commentante Origine (a) cùm offerre unicum juberetur, quia & "à mor-

(a) hoc ea-

" à mortuis eum suscitare potens esset Deus: crediderat etiam, quod non illi tantùm res Isaac " tunc gereretur, sed & semini ejus, qui est Christus, plena Sacramenti veritas servaretur. inde " denique gaudens unicum offerebat, quia in eo non interitum posteritatis, sed reparationem " mundi & innovationem totius creaturæ, quæ per resurrectionem Domini restituta est, cogita- " bat... Hic ergo competenter videbitur habita comparatio fidei Abraham, & eorum qui credunt in eum, qui suscitavit D. JEsum: quia, quod ille futurum credidit, à nobis creditur factum.

put IV. pag. 596.

Quia charitas Dei per Spiritum S. diffunditur in cordibus nostris, v. 5. ideo visum est Magistro (b sent. ipse Spiritus S. nobis datus dici, quod αμεσως absque medio creato habitu nos Dei dilectores faciat, suæque opinionis Joannem, Paulum, & Augustinum antesignanos profert. Verior autem est adnotatio Interpp. Platonismo Hagiographis & Patribus primi millenarii familiari, Deum dici *caritatem*, quali dicitur & *nostra virtus*, *sapientia*, *spes*, *vita*, *lux*, *salus*, cujusmodi μετωνυμιαι non ad verbum, sed τροπικως exponendæ. Aliis etiam Lombardus ex hoc loco ipso redargui videtur; eccur enim Spiritus sanctus actum duntaxat, & non etiam perennem facultatem effunderet in justificatum, quem diligit? demus eandem esse caritatem, quâ Deus nos diligit, & quâ sui dilectores facit, faciet tamen uti extraneum, non interius infusum insitúmque principium. Hujusmodi, utrum extare demonstretur, dubitarunt, imò negarunt scholastici quidam (d) ante Tridentinam: verùm hæc synodus adeò feliciter & εμφατικως hoc Paulino idiomate usa (e) est, ut donum stabile infusum, distinctum à Spiritu S. ejúsve misericordia habitare in nobis, catholicum dogma sit. Superest incolumi fide controversia, aliudne sit donum caritatis ab gratia Christi? Nobis alio quàm Pauli ore loqui cum nefas sit, censemus re & ratione unum donum esse caritatem amicitiæ & gratiam: 1ò caritate enim infusâ Deus liberè & efficaciter nos diligit, eâdem nos Deum diligimus: 2ò justificamur, quia ea gratificamur, pacificamur, conciliamur Deo. 3ò ea est Paulo radix, basis, motrix omnium virtutum. 1. ad Cor. XIII. 4. 4ò ab ea omne, sinè ea nullum pretium ullius doni aut boni. ibid. 1. 2. 3. 5ò nullum è scripturis sacris contra nos verbum profertur: igitur necessaria est hæc scripturistis sententia: scholis, extra scripturam concedimus omnia.

Dissert. 10. Charitatis idea ex Paulo.
(b) Dist. XVIII. Lib. 1.
(c) Perer. disp. IV. in cap. V.
(d) Scotus in l. D. 16. Gabriel. Dist. 27.
(e) Sess. VI. cap. 7. & canon. 9.

Hoc loco: ὥς περ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον: veluti decretorio, in fronte Catholicarum ἀποδείξεων, veluti invicto ariete collocato PP. Africani, in Concilio Nationali anno CCCCXVIII. (quod Milevitanum vulgo audit) PP. Romani Innocentius, Zosimus, Cælestinus, Leo, Gelasius contra Cælestium, Pelagium, Julianum; PP. Arausicani ac demum PP. Tridentini Sess. V. de peccat. orig. usi sunt ad demonstrandam (f) extantiam hæreditarii peccati & mortis, nunc supplicii causâ non naturæ necessitate tolerandæ. Pelagius (quem sub Hieronymi titulo latere non suboluerat Erasmo) primus est autor interpretamenti ab Erasmo recocti, tum Ambrosiaster, & Origenis interpres Ruffinus ab Anastasio Papa dudum (g) damnatus: quanquam hos duos nunc dubios, nunc Catholicos disertè consentientes fateri debeas: Cæteri PP. Græci & Latini docent ex hoc fonte non soli Adæ prævaricationem suam, sed & propagini nocuisse; & ideò parvulos baptizandos, quia omnes in Ada peccaverunt. Docent 2do nec Adamum nec posteros morituros corpore fuisse, nisi peccassent. Quid enim hoc Parallello Paulino simplicius aut evidentius? regnum vitæ nulli obveniet, nisi ex gratia Christi, uti regnum mortis corporeæ (frequenti apud Apostolum προσωποποιΐας) in eos omnes & solos porrigitur, qui in Adamo peccaverunt. Moriuntur autem infantes, qui simili ac Adam actu non peccaverunt, ergo per ipsius Adæ inobedientiam hæreditariam peccatores constituti sunt. Vertamus (h etiam ἐφ' ᾧ, *eo quod quia* (ut mavult Erasmus, non ausus interim asserere falsam versionem nostram vulgatam) constat sua ratiocinio Paulino vis & firmitas. Si enim *ideo* mors in omnes etiam infantes pervasit, quia peccaverunt: rei igitur sunt peccati infantes, non autem *imitatione* rei esse possunt: igitur propagatione. En Catholicam & necessariam loci hujus interpretationem, nullis pseudo-criticorum commentis labefactandam.

Dissert. 11. Peccatum originis an ex v. 12. c. VI. demonstretur? Negant demonstrari Pelagius, Julianus, Erasmus, Grotius, & Joan. Clericus sub larva phereponi.
(f) Garnerius in notis ad Marium Mercator pag. 407. Dissert. VIII.
(g) Garner. pag. 109. 110. in appendice prima ad Commonitor.
(h) Adnotation. in N. T. hunc locum.

Quicunque baptizati sumus in Christo JESU. Exercuit hic locus veterum PP. ingenia, ut cum Matthæi XXVIII. 19. concilietur, quo præcipitur baptismus in nomine Patris & Filii & Spiritus S. impertiendus. Ex priore enim loco & actor II. 38. VIII. 12. X. 48. XIX. 5. Ambrosius, Beda comment. in c. X. Actorum, Cajetan. prim. edit. Hadrianus VI. collegerunt, variis licèt rationibus inducti, & Apostolos solo Christi nomine aliquando administrasse baptismum, & eum plenum validum ratum usque nunc, vel certè primò sæculo fuisse. Contraria est constans & perpetua universæ Ecclesiæ traditio, praxis & doctrina, nec usitatum ex historiâ N.T. nec ex jure divino legitimum esse baptisma hoc solo nomine collatum. Pro hac sententia concilia, Pontifices ex cathedra loquentes, & Patrum agmen educunt Salmeron, (k) Estius in IV. sent. Dist. III. & Tournelius Qu. III. a. 11. Cur autem Lucas & Paulus in nomine Christi tingi eos narrant, qui Trinitatis disertâ invocatione baptizabantur? Resp. Basilius (l) non ideo solius Christi nomine fuisse ablutos, uti nec solius Spiritûs S. 11. Corinthii, quos Paulus *in uno Spiritu* secum baptizatos confitetur. Rdet Theophyl. (m) ut à carnali judaico, ab Johannæo pœnitentium excellentius Christi Sacramentum discernatur. Rdet Damascenus: in Christum baptizatum esse " nihil aliud indicat, quàm in illum credendo salutifera aquâ tingi. Fieri autem non potest, ut in " Christum credamus, nisi Patris, & Filii & Spiritus S. confessione imbuti simus " Rdet Salmeron

Dissert. 12. de usu & valore Baptismi in solo Christi nomine.
(i) Lib. 1. de Spiritu S. c. III.
(k) Tract. XIV. Tom. XII.
(l) de Spiritu S.
(m) comm. in Lucam.
(n) L. IV. ortho. fide c. X.

nomen

NOMEN Hebraismo significare autoritatem, virtutem potestatem, quâ actio quæpiam instituitur aut æstimatur. Quotquot igitur Baptismo à Christo instituto, ejusque meritis efficaci abluuntur, ii propriè in nomine Christi abluuntur: hoc sensu Paulus εἰς τὸν θάνατον, in mortem Christi, ex merito mortis, causam loco effectus, vel προπολογικῶς Baptizatos assimilari mortuo & sepulto Christo dixit, quod peccatis, quibus renuntiamus, mori, aut sepeliri peccata cum Baptismo videantur. Quæ expositio placuit Tertulliano, (o) Chrysostomo in h. L. & Augustino. (p) Verùm ex his mysticis & allegoricis significationibus movenda hilum non est tradita à Christo Baptismi formula.

(o) L. de pœnitentia. (p) Enchirid. c. 51.

Diss. 13. Sobria intelligentia libertatis Christianæ à Paulo c. v. vi. &c. laudatæ.

Michael Bajus (q) nullibi in Scripturis sanctis libertatem à necessitate reperit: nec ego uspiam in iisdem legi Romanos, quibus hanc Epistolam Paulus misit, aures & oculos sanos habuisse: credo id tamen, eoquod cæcis & surdis scribat nemo. Postrema autem vi. h. e. capita documentis moratis, præceptis & consiliis Evangelicis plena, edicite amabo Bajani, pecudibusne brutâ necessitate abreptis, an hominibus, fatali necessitate alternante aut perpetuâ, nil refert astrictis, an demum eâ liberis scripsit? hujusmodi libertatem Hagiographi & Ethici, nisi certò extare ponerent, eccur aut quibus leges ferrent? Legite Illmi Fenelonii (si Helleboro opus est) Epistolas 19. 20. 21. 22. 23. Institutionis Pastoralis & Epicureismi cum Jansenismo accuratissimam comparationem. Paulus Christi beneficio nos LIBEROS à peccato primùm, tum ab Legis Mosaicæ, rituum, sacrificiorum, & suppliciorum jugo hac in vita; post eam servitute corporis, morte, miseria omni, regnaturos cum Christo pronuntiat. Hanc, non aliam Catholici ex Epistolis ad Rom. & Gal. didicerunt. Sed liberalior Lutherus, Paulina oracula *liberatos nos esse à Lege mortis: non esse sub Lege: Libertatem esse ubi Spiritus sit, justo Legem non esse positam,* eò detorquet, quò nemo, non dicam hæreticus sed αντινομος, ανομος, αυτονομος, nemo fanaticus aut furiosus ea accipit. Ex ungue Leonem .... fidem & fidei suæ interpretationem cujusvis con-
" scientiæ liberam esse: fas esse cuivis cujusvis doctrinam dijudicare: Baptizatum omni Lege hu-
" manâ Ecclesiasticâ politicâve exemptum esse: inter Christianos nullus Magistratus esto. edico
" Liberrima voce Christianis legem ab homine aut Angelo imponi nullam posse; nisi quam ipsi velint: sumus enim legum omnium immunes: Hujusmodi & centuplo atrociora evomit sexcentis locis in iis, quæ inter opera Wittebergæ & Jenæ extant impressis libellis: **Von Christlicher Freyheit: wider den falsch genandten Stand der Geistlichen: von der weltlichen Obrigkeit: von Papstumb vom Teuffel gestifft: wider die zwey Käyserliche** Mandata: de captivitate Babylonica. contra Regem Angliæ. Plura refert Ernesti b. mem. Arch. nostri Cancellarius (r) Burgkardus eruditissimo opere, quo licentiæ hujus effrænis quidvis sentiendi abusum non tantùm Paulinæ libertati sed sanæ rationi pugnare ostendit. Equidem scio Acatholicos Magistratus Europæos perversa hæc interpretamenta Lutheri detestari & erubescere; exilio, bonorum proscriptione morte mulctare, qui libertatem quidvis credendi sibi arrogant: qui autem id factum cum principiis vestris cohæreat, non video ô boni viri! Christianorum libertas est servire justitiæ in sanctificationem vi. 19. Justificationem legis implere & non secundùm carnem ambulare, viii. 3. Potestatibus sublimioribus à Deo ordinatis subdi, xiii. 1. infideles & eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam in Ecclesia Christi didicerunt, faciunt, declinare, xv. 31. xvi. 17. Hanc libertatem à Luthero pessundatam discamus Germani à Paulo, & verè liberi erimus.

(q) de libero arbitrio c. vii. at August. *Revelavit nobis Deus per Scripturas suas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium*: de grat. & lib. arbit. c. i. ii. iii. utri credemus?

(r) de autonomia.

Diss. 14. Concupiscentia carnis peccatum, variâ notione.

Concupiscentiæ ἐτυμολογίαν indagantibus, liquet eam primævo significatu in neutram partem accipi, & in bonam etiam ab Hagiographo (s) Libri sapientiæ: at in malam semper in N. T. Philosophi eam in facultatem, habitudinem, actum dispescunt. Augustinus ejus actum ab reatu discernit: in regeneratis concupiscentiam manere actu, præterire reatu. Nihil enim damnationis est iis, qui sunt in C. Jesu. viii. 1. manifestum ergo est eam nec esse noxam originariam, nec ejus partem, cùm hujus effectus, & supplicium sit. Nuncupatur tamen ab Apostolo, *Habitans in nobis peccatum, Lex in membris repugnans legi mentis, captivans nos in lege peccati, servitus carnis sub lege peccati, malum nobis adjacens*, quia ex mente (t) Augustini & PP. Tridentinorum ex peccato est, & ad peccatum inclinat, quia est effectus & causa peccati: non verò quasi verè ac propriè in renatis sit peccatum. Similibus tropis Paulo *peccatum* dicuntur: Christus, Lex Mosaica, caro, dæmon, antichristus, victima piacularis: quæ Interpres nullus judicavit propriâ notione sed translatâ & impropriâ dici peccatum. Dedocendus etiam ex Paulo Bajus, qui concupiscentiæ motus citra & contra rationis imperium erumpentes nono & decimo præcepto interdictos affirmavit. Si quod nolo mente, illud facio carne, jam NON EGO operor illud, sed quod habitat in me peccatum: reus ergo violati præcepti non sum, dum quod odi malum, spiritu legi vetanti consentiens, illud tumultuante & spiritui recalcitrante carne fieri VIDEO. Si illa (u) concupiscentialis inobedientia ... absque culpa est in corpore dormientis, quantò magis absque culpa in corpore non consentientis, ait, Hipponensis contra Iprensem non Augustinum sed Bajum vel Calvinum.

(s) vi. 18. 21.

(t) Sess. v. decreto de peccato orig. §. 5.

(u) L. 1. de civit. c. 25.

Diss. 15. Suâ an alienâ personâ loquatur Paulus extremo cap. vii.

P.P. Græci pene omnes personam Judæi sub jugo legis gementis aut impii necdum peccato liberati geri à Paulo contendunt à ℣. 14. ad 25. cap. vii. quibus accedunt ex Latinis Tertullianus, Cyprianus, Ambrosiaster, pseudo Hieronymus sive Pelagius suæ ἀναμαρτησίας tuendæ gratiâ, & verus Hieronymus octavæ quæstioni Algasiæ respondens. Non enim infrequens est alienam personam sustineri abs Prophetis & Apostolis. 2do Ægrè accommodari videntur personæ

sonæ Pauli, jam in & ex Christo viventis, peccatorum & captivitatis & servitutis variæ facies, 3tiò Hæresiarchæ hoc fuco & exemplo perpetuam peccandi necessitatem justis affingunt. 4tò Imò ἀνλιθεσις aperta videtur Pauli ultimo versiculo depicti & peccatoris in versiculis antecedentibus .... Perinde tamen Catholica & Cornelio à Lapide germanior, sensui Paulino cohærentior est Augustini (x) jam senis interpretatio, quæ PAULO ipsi Vasi electo & Spiritu Christi agenti & loquenti hanc personam imponit: contra quam oblatæ à Juliano criminationes (y) solidis & veris exceptionibus depelluntur. Latini PP. & Scholastici frequentissimâ assensione in hanc sententiam ivere. Testis etiam est historia hujusmodi (z) pugnæ domesticæ carnem inter & spiritum commissæ penes viros sanctissimos. sed post confessionem propriam 11. ad Cor. XII. supervacanea est apologia hujus expositionis.

Ipse igitur testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. VIII. 16. *Certus sum quia neque .... creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Hinc (a) Calvinus tria nova dogmata producit. Hoc testimonium, hanc certitudinem esse fidei divinæ actum. 2. hunc solis electis dari: 3. hunc nullo peccato amitti, eo nos perseverantiæ certos fieri. Errant 10. insciscitiâ grammaticæ: nam συμμαρτυρειν quinquies adhibetur in N.T. nec aliud significat, quàm intimum sensum, existimationem, experimentum conscientiæ sinceræ. πεπεισμαι persuasum mihi est, confido: uti alibi sæpe: utrumque longè abest à verbo Dei loquentis, cui soli fides summa debetur. 2do Fiducia ea, quantacunque sit, semper ex hac *conditione* suspensa est Paulo Doctore; si non secundùm carnem ambules, nihil damnationis tibi est .... si compatimur & conglorificabimur. Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. VIII. 1. 13. 17. si in bonitate permanseris, videbis in te bonitatem Dei: alioquin & tu excidêris ab Oliva electa, cui insertus es; & si Judæi non permanserint in incredulitate, inserentur denuò olivæ electorum XI. 22. 23. hoc modo omnes veteris & novi instrumenti paginæ pollicentur justis æternam felicitatem, dum Gehennæ excogitatum fuit genus gratiæ immutabilis & insuperabilis. Opponimus præterea Catholici Joviniano (b) Tatiano (c) Wicleffo (d) Calvini præcursoribus prædestinatos, fidei gratiâ jam imbutos & rursum ad gravida flagitia revolutos Adamum, Aaronem, Davidem, Petrum, & Apostolos Magistri morientis desertores. Huic nodo dum cuneum adv. quærunt, novum errorem priori connectunt, & credentes fingunt aut peccare nunquam, aut impune peccare, quod innoxii reputentur, quantiscunque sceleribus immersi jaceant; cùm reprobi aut fide Christianâ destituti culpa quævis inferno igne punienda sit. Orthodoxi veriore trutina plagarum (e) modum ex delicti varietate admetiendam judicant. Quantum (e) quisque glorificaverit se & in deliciis fuerit, tantùm dandum illi tormenti & luctûs. Prædestinatis sanè & credentibus scribit Paulus: *Tu autem fide stas: noli altum sapere sed time* XI. 20. his igitur depositâ præfidentiæ inanis cristâ & fidei acceptæ & speratæ salutis jactura metuenda, & securior erit utriusque spes & exspectatio.

Pythagorici μετεμψυχωσεως patroni, cùm eandem numero animam in varia corpora migrare crederent, non possibilem duntaxat, sed frequentem & quotidianam ex physicæ suæ principiis reversionem animarum in corpora ponebant citra Miraculum. Origenes negabat post liminio restituendam vitæ carnem nostram, quæ scilicet, animæ supplicii & carceris temporarii loco gestanda fuit; olim deponenda omninò. Sadducæi (g) ex alio principio corporum ad vitam reditum inficiabantur, ex alio Aristoteles (h) ὅσων ὑσίαφθαρτὴ ἀνάγκη τῷ εἴδει, ἀριθμῷ δὲ μὴ ἀνακάμπτειν: (cujus demonstrationem evertunt, qui soli Deo attribuunt immediatam vim effectricem hujus individuæ materiæ; præterquam, quod id philosophicum non esse, moneat magnus Suarezius) inter Catholicos Richardus eundem (i) numero effectum naturæ operâ restitui posse opinatus est. His melior Theodidactos Magister Paulus docet, c. VIII. 11. corpora hominum mortuorum etiam impiorum vitæ restituenda. 2do *Miraculo naturæ indebito*, & hujus viribus superiori, tertiò, quod miraculum inhabitanti spiritui Christo acceptum referendum sit. *Si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum à mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum à mortuis*, vivificabit & mortalia τὰ θνητὰ σώματα corpora vestra, propter inhabitantem spiritum ejus in vobis. Tertium membrum præ primo & secundo difficilius est, & copiosius explicandum. Spiritus Christi est peculiaribus & multis titulis autor & causa παλιγγενεσιας revivescentium hominum. 1. Causa effectrix princeps restituendæ corporibus vitæ: sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius: Johan. v. 21. 2. Meritò toleratæ mortis h. e. v. 17. 3. Exemplar, idea πρωτοτοκος εκ των νεκρων hic VI. 8. ad Coloss. I. 18. 4. Singulare exemplar gloriosæ corporum beatorum restaurationis VI. 8. 10. 1. ad Cor. XV. 47. 5. Imperio vocis suæ omnipotentis. Johan. v. 28. 6. Spiritu gratiæ suæ, idque trifariam: 7. Eo quod gratia Christi, quâ sancti & Dei filii fimus, jus nobis dat, & *semen* est futuræ vitæ æternæ corporis & animæ VIII. 11. 8. Spiritus gratiæ *vita* est à fonte vitæ derivatus, igitur vivificabit corpora baptizatorum. Joh. IV. 14. 9. Ex corpore & sanguine Christi manducato magnificè probarunt PP. (k) corporum ad vitam reditum: Johan. VI. 54. 55. unde & manavit usus Eucharistiæ infantibus dandæ; qui *ad disciplinam* non *ad dogma* spectat: porrigitur etiam latius & universalius hæc via reddendæ vitæ corporeæ quàm vulgus credat. Nec enim una est PP. methodus exponendi oraculi Johannæi & Paulini: quas inter illa (l) de anima Christi Eucharistici veluti *formâ assistente & Motore* assumente corpus Christiani ad vitam ei communicandam) admirabilior nobis quàm verosimilior videtur.

(x) L. I. Retract. 23
(y) L. VI. contra Julian, c. 11.
(z) Hieron. Ep. ad Eustoch. de bono virginit.
Diss. 16. amitti fides an possit?
(a) antidotor Conc. Trid. Sess. VI. c. X. XIII. XIV.
(b) Hieronymus l. 1. ad v. Jovinianum.
(c) Irenæus l. 1 c. 31. l. III c. 39.
(d) conc. constant.
(e) Deut. XXV. 2.
(f) Apocal. XVIII. 7.
Diss. 17. Cur & quot modis Christus sit causa αναστεως piorum & impiorum?
(g) Matth. XXII.
(h) L. II. de generat. & corr. text. 70. l. V. physic. text. 37.
(i) in IV. Sentt. dist. 43. q. 1. a. 3 Scoto suffragante
(k) Irenæus L. IV. c. 34. Cyrill. Alexandr. & Chrys. in c. VI. Joh.
(l) vitæ absconditæ disp. VIII. sect. 5. §. 36 Eminentissimi Cienfuegos

Diss. 18. An & quatenus mundus servitute corruptionis liberabitur?

Paradoxo consolandi genere Paulus Christianos ad exspectandam interim immunitatem ab omni malo & plenam corporis felicitatem accensurus; videtis, ait, aspectabilem hanc terræ cœlique machinam omnium corporum ortus, occasus, geneses, mortes: hæc nobiscum vacationem, manumissionem, libertatem poscunt & orant, nec tamen antè impetrabunt, quàm filii Dei perfectâ adoptionis gloria circumfluant, quidni & vos in eandem spem assurgitis VIII. 19. 25. Credimus namque Christiani universitatem hanc cœlestium juxta ac terrestium corporum igne materiato exurendam. Isaiæ LI. 6. Matth. XXIV. 29. 35. Marci XIII. 21. Ps. CI. 7. 26. II. Petri III. 10. Possunt enim hæc loca sensu proprio physico accipi: igitur colligit Sertarius (m) cœli syderei conflagrabunt, liquescent, peribunt. Quæ sententia PP. græcis (n) adeò certa fuit, ut hinc *quintum illud* incorruptum corpus cœleste peripateticum deriserint veluti fabulam potiùs quàm confutarint. Succurrunt innumeræ recentiorum astronomorum observationes, & rationes oppidò tenues ac jejunæ pro αφθαρσιας: mirari ut satis non possimus Estii (o) censuram "opinio eorum, qui ad cœlos supraelementares referunt aut extendunt conflagrationem, de "qua S. Petrus II. III. sive Theologiam spectes, autoritate destituitur, sive Philosophiam, "ratione") Vægrandis autoritas est obvia plana & concors Litteræ Divinæ significatio; patrum communissima interpretatio, sybillarum & veterum (p) sapientum præsensio περὶ ἐκπυρώσεως τοῦ παντὸς. Scheineri, Galilæi phænomena observata, quanto intervallo peripateticis præponderent, norunt critici. Hinc alii æstiment, quo pretio Estii censura ducenda sit: nam nos disceptatores sumus, censores non sumus. Secundò post conflagrationem ad augustiorem formam evehentur adeò, ut quoad substantiam immutata nobilitata corpora videri possint, eo quod indissolubili nexu, felicioribus dotibus, excellentiori vi & efficaciâ donanda sint: cæterùm & scripto verbo divino & philosophiæ accuratiori magis consentaneum est substantiam corporum singulorum & globorum specie eandem perstituram: cùm enim de sua carne id certò sciret Jobus XIX. 26. jure de omnibus idem conjicimus. Cælestium corporum instauratio non solâ motûs præsentis cessatione, vel corruptelæ evacuatione, circumscribenda est, sed insigni additamento & augmento virium perfectiorum & ornamentorum & motuum illustris erit & spe nostrâ major. Tanta gloria cùm maneat αλογα, ratione & sensu vacua corpora veluti supellectilem instrumenta & familiam electorum sub mundi hujus exitum, quanta ipsis filiis cœlestis familias reservabitur & obveniet libertatis & claritatis corporeæ accessio? nec hæc sententia redolet χιλιασων vel Thalmudicorum deliria, olim (q) ab PP. damnata.

(m) Comment. in Ep. Petri.
(n) autor qq. ad orthodox. Basilius Chrysost. & assectæ Nemesius.
(o) Comment. in Petr.
(p) Clemens strom. V. Origen. l. IV contra Celsum.
(q) apud Alphonsũ à Castro l. III. adv. hæreses.

Diss. 19. Spiritus sancti postulantis, & Christi interpellantis Catholica interpretatio.

Ariani ex 34. VIII. ex interpellatione Christi pro nobis ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν Macedoniani ex 26. ejusd. cap. postulante spiritu pro nobis ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν divinitatem secundæ & tertiæ personæ abrogatum ibant, quod Interpellatoris, Patroni, Advocati, Postulatoris officium infra divinam Majestatem, & Christi triumphantis dignitatem sit. Cui blasphemiæ abstergendæ tres interpretationes primo loco accommodatæ prima μετονυμικῶς, quod doceat orare & orandi gratiam promeruit. 2da exhibitionem vulnerum servatorum & humanæ naturæ adsumptæ, mutam quandam interpellationem esse. 3tia, Christum mortali in carne, non verò gloriosum interpellare. Hæc S. Thomas ex Gregorio & Ruperto (r) negante Christo post mortem tribuendam interpellationem: sed est quarta plurium PP. apud Petavium (s) Cornelium à Lapide sententia, Christi citra ullam gloriæ vel divinitatis imminutionem nunc munus interpellantis & orantis apud Patrem obire, cui subscribimus macti cap. VII. ad Hebræos, quo PONTIFICIS & ADVOCATI dignitas perpetua Christo asseritur. Secundus locus dissidentes inter se longiùs commentatores habet. Lyrano spiritus est Angelus Custos: Chrysostomo Sacerdos vel Diaconus pro Ecclesia supplex orator; Augustino est ipsa charitas gemens orans; Theodoreto gratia orationis; aliis mens hominis interior & superior portio nostræ naturæ. Catholicè omnia sed non necessaria: nos de ipso spiritu increato præcipuè litteram exponimus, Dei enim proprium attributum est *scrutari omnia*, & *semper secundùm Deum postulare*: nec metonymico tropo Augustini, Origenis, quasi postulare nos faciat solùm, sed proprio sensu postulantem & orantem post (t) Nazianzenum, Aquinatem & Cornelium à Lap. credimus quia παρακλητον Advocatum credimus.

(r) L. IX. de officiis
(s) L. XII. de incarc. c. VIII. §. 7.
(t) orat. 2. de filio.
(u) 3. p. q. 21. a. 4.

Diss. 20. Nullusne ordo sit poneudus inter divinæ voluntatis liberæ & intelligentiæ actiones?

Ingressuris τὸ βάθος profundum pelagus πλούτου καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως Θεοῦ, immensarum opum divniæ sapientiæ, offerunt se proximi scholastici Doctores, qui subtili & multiplici partitione, divisione ac habitudine donorum naturæ & gratiæ observatâ istiusmodi sectiones, antecessiones temporis vel causæ vel effectûs in ipsam divinæ scientiæ & liberæ voluntatis arcem introducere necessarium aut commodum opinantur. Verùm, cùm ea, quæ extra aut præter verbum divinum quantocunque veri colore aut acumine excogitantur, parum nos moveant, judicamus nullum in sacris codicibus extare vestigium aut indicium scindendæ ἀνθρωπομορφῶς, ante- aut post-ponendæ alius alii voluntati divinæ: ἀνωφέλω δὲ ὄν τὸ Θεῖον τοιούτων τῶν ἐν ἡμῖν εἰς μερισικὰς ἐννοίας ὑποπιπτόντων: eoquod, Epiphanio (x) autore, *divinum esse, scire, velle superius & excellentius sit iis, quæ sub nostrarum cogitationum distinctiones secretiones cadunt.* 2do Paulus ejusdem scientiæ individuo obtutui & voluntatis prædestinantis decreto subjicit omnia dona ab primo quo vocamur, justi fimus, usque ad gloriæ consecutionem VIII. 30. 3tio Nemo PP. aut Interpretum duodecim primis sæculis usus est systemate aliquo digestorum in ordinem arbitrarium divinorum decretorum sed prædestinatione, re, & ratione unicâ complexi sunt

(x) hæresi 70. & 76.

seriem

seriem & veluti auream catenam ex præsidiis gratiæ invicem aptis & mutuo vario ordine connexis. Quod de August. Petavius (y) demonstrat. De Angelico nemo dubitet inspecto art. v. qu. 19. 1. p. "Nobis, ait Thomassinus (z) consultius visum est hujus divinorum decretorum ordinis & antegressionis securos & incuriosos imitari SS. PATRES; cum vel maximè, qui perspicuitatis ergo "in hoc maximè ordine digerendo studuerunt, incredibili quadam inter se dissensione rem implicuisse magis, & obscurasse videantur. Subscribimus ergo Illmo Tullensi (a) Episcopo D'argentræo. Hujus ordinis intrinseci secundùm rationem successivi nusquam Mag. Sent. Albertus M. "Alensis, S. Thomas, D. Bonaventura, omnes denique veteres scholastici ante Scotum, nec etiam "SS. PATRES meminêre, eundemque validissimis argumentis Nominales impugnant, propterea "quod nostrarum cogitationum & perceptionum ordinem, qui per se quidpiam imperfecti in"volvat, divinis actibus tribuere sit piaculum." Vult nempe Deus finem per media, præmium ob meritum, pœnam propter culpam, impio gratiam, ex gratia meritum, ob meritum coronam: sed non PROPTER HOC VULT HOC.

(y) L. IX. de Deo c. XII. §. 3. 4.
(z) Theol. dogm. de Deo L. VIII. c. XII. §. 8. 9. 10.
(a) de prædeterm. physica & morali c. V. qu. 3.

Ante omnem liberam voluntatis divinæ actionem (quam cum Paulo nunc generaliore nunc speciali notione vocamus dilectionem, (aa) charitatem, seu beneplacitum, propositum, electionem, discretionem activam, prædestinationem seu prædefinitionem) concipimus pro modulo infirmæ nostræ intelligentiæ anteriorem scientiam. ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισε. VIII. 29. Nam quos præsciit & prædestinavit. Nempe gubernator, ut quisque sapientissimus est, è mentis suæ speculâ legum, consiliorum, & mediorum omnium prius ea quàm decernat, dictet, sanciat, ordinem seriem & exitum certum prospicit. Igitur subinfert Pelagius *secundùm*, ex propter *præscientiam est prædestinatio*; imò contrarium ex solo lumine rationis evidentissimum fit. Cùm enim in Thesauro divinæ sapientiæ extent & repræsententur rationes infinitè variæ naturarum rationalium ad beatitudinem perducendarum, quibus Pharao æquè ac David, Judas juxta ac Petrus in aliâ hypothesi vel aliâ serie rerum Deo liberâ vel bearentur, vel ad pœnas æternas damnarentur, forentque illæsâ arbitrii creati libertate reprobi, qui nunc prædestinati aut contra; solius autem divinæ supremæ libertatis decreto hoc universum, & in eo hæc series gratiarum, meliorum huic Angelo hominive extantiam suam præ innumeris possibilibus debeat: sole meridiano clarius est, non *ex*, non *propter*, non *secundùm præscientiam* eventuum sub quavis conditione futurorum, sed κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ ad Eph. I. 5. 9. quia *placitum* est, *libitum* est, Deum prædestinâsse Petrum. 2do quanquam præscientia hæc non sit causa Propositi, nec causa efficaciæ, est tamen judice Paulo & Augustino ejusdem definiendæ pars necessaria. "*Hoc propositum* (b) *ad præscientiam & prædestinationem Dei pertinet.* Hæc est (c) prædestinatio "Sanctorum, nihil aliud, præscientia scilicet & præparatio beneficiorum quibus certissimè libe"rantur, quicunque liberantur." in sua (d) quæ falli mutarique non potest præscientia, opera futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare. Ex quibus definitionibus Paulo-Augustinianis conficitur 1ò scientiam ratione priorem esse liberâ præparatione adeóque necessariam scientiam, non eam, quam *visionis* scholæ vocant. 2ò. Prædestinationem sine (e) præscientia non posse esse, quanquam possit esse sine prædestinatione scientia: 3ò Si media sint ejusmodi, quibus motum & excitatum arbitrium (d) creatum potest dissentire, si suâ gratiâ (e) semel justificatos Deus non deserit, nisi prius ab ab eis deseratur, consectarium est nullam aliam CLAVEM esse *certitudinis* divinæ prædestinationis quàm præscientiam.

Dissert. 21. Præscientiæ divinæ officium erga voluntatem providam & prædestinantem.
(aa) Thomassini de Deo L. VIII. c. I. §. 4.
(b) August. in exposit. quar. prop. Ep. ad Rom.
(c) de don. persev. c. XIV. n. 35.
(c) Aug. de præd. SS. c. X.
(d) Trident Sess. VI. canon. IV.
(e) ibid. cap. XI.

Animadverto 1ò apud Paulum (ee) *Prædestinationem* in meliorem partem duntaxat usurpari VIII. 29. 30. ad Eph. I. 5. 11. Contrà Augustinus (f) & scriptores gallicanæ Ecclesiæ & nominatim PP. Valentini Concilii A. C. 553. prædestinationem electorum ad vitam, & impiorum ad mortem dixerunt. 2ò Prædestinationem Aristotelicâ subtilitate dividi posse vel in sua prædicata generica, specifica, vel in tot volitiones, quot sunt dona filiis Dei data in tempore, & quot horum donorum inter se affectiones sunt vel habitudines, non inficiamur: sed Hagiographi hoc stilo non scribunt. Prædestinatio gratiam perinde ac gloriam (g) media ac finem respicit. Hujus (quam Scholastici post introductas divisiones *adæquatam totalem* vocant) ratio, causa ab, ex, in homine sano aut peccatore aut ab Angelo nulla est nec esse potest. Nam (h) quod Angeli sancti non ad meritum sed tantum modo ad præmium prædestinati sint, prædestinatione non gratiæ sed meritorium naturalium, Ypris scriptum fuit, Hippone nunquam. 3ò. Prædestinatio Petri præ Juda Gentium præ Judæis nullam rationem, nullum discrimen creatum habet. De hac Paulus c. IX. X. XI. agit: huic tutò sinè limitatione, distinctione omnes typi V. T. Isaaci præ Ismaele, Jacobi præ Isaaco, Israelitarum idololatrarum præ Pharaone cæso servatorum; massæ & figuli comparatio attribuuntur. Hæc est *electio gratiæ* (quo hebraismo significatur electio gratuita liberalis, vel electi gratis præ pluribus reprobis pauci Judæi. XI. non verò electio ad solam vel ad primam gratiam), utramque (*absolutam & comparativam adæquatam*) esse gratuitam & non ex operibus præscitis Paulus, Augustinus, PP. Concilia docent. Utrique contradicebant primo sæculo Pseudapostoli quidam; ob opera solius naturalis arbitrii, vel solorum rituum Mosaicorum promeritos fuisse Neophytos de Deo adeò præclarè, ut Judæis & Gentibus gratiam Evangelicam ideò destinaverit. quem errorem Paulus h. E. damnat & expugnat. Calvinus in oppositam charybdin impegit: quasi ex eo, quod Paulus propositum divinum & prædestinationem solis electis tribuere maluerit, reprobis nulla unquam veri nominis gratia à Deo destinetur: quam hæresin ex cap. X. confutatam. infra Dissert. 33. ostendemus.

(f) Petau. de Deo L. IX. c. 1.
(ee) Emin. D'Aguirre Tom. III. Disp. 115. n. 65.
(g) idem loc. cit. §. IX.
(h) Jansen. de grat. L. IX. c. XXV. p. 997. confer Baji 1. Quesnelli 34. 35. 36. 37. damnatas.

Si

Diss. 23. de singulorum donorum præsertim gloriæ prædestinatione

Si jam ad singula dona in hoc sæculo data gratiam primam, secundas, merita, perseverantiam, gloriam descendere libeat, ex iisque ponderare & metiri singulas (pro mentis nostræ indivisa dividentis more) in Deo volitiones prædestinantes, comperiemus (i) duce Augustino *hoc tantùm interesse inter gratiam & prædestinationem*, gloriam & gloriæ prædestinationem, quod prædestinatio sit gratiæ gloriæ præparatio: gratia verò & gloria ipsa donatio. Donatio autem gratiæ est merum donum non ex operibus, non ex meritis, igitur & ejus prædestinatio. Contrà donatio gloriæ est secundùm patientiam boni operis, igitur & hæc sigillatim prædestinatio est Mercedis magnæ, coronæ justitiæ, denarii. *Suspicari* (k) *enim ALITER in destinando se gessisse Deum, atque in exequendo, quòd decreverat, divinare prorsus est.* Dissentiunt ex orthodoxis alii, & prædestinationem gloriæ prorsus gratuitam adultis docent: imò nonnulli eam ad Catholicæ fidei articulos pertinere optant potius quam probent. Sed sapientissimi Magistri Thomassinus, (l) Petavius, (m) Gamachæus, Grandinus, Tournelyus, (n) Maignanus, quin ipse Jansenius, (o) (quamvis ipse Augustinus, ajens, difficultatem istam, utrum in Deo sit efficax electio ad gloriam ante præscientiam meritorum nunquam ex professò disputaverit) & Nicolius, (p) & nuper Angelus *à passione* (q) Carmelita invictis ex omni historia Ecclesiastica monumentis demonstrarunt neutram opinionem, *prædestinatæ gloriæ ante vel post prævisa gratiæ merita*, fide divinâ credendam unquam propositam fuisse. 2dò Josephus Tricassinus Capucinus observat distinctionem duplicis decreti divini intentionis & executionis (cujus solius ope sustinenda est Catholicorum opinio gloriæ gratis prædestinatæ) ejusdem objecti quod vel eodem vel diverso temporum momento sit gratia & debitum, monstrum Paulo videri x1.6. 3ò Eam distinctionem esse novam, duodecim primis sæculis inauditam, 3ò Eam ægrè conciliari cum plana ac genuina significatione plurimorum Ss. Scripturæ locorum. 4ò. Capita 9. 10. 11. huj. Ep. sine multis limitationibus & distinctionibus accommodari huic opinioni nequeunt, quod signum est ab sensu genuino hic aliquantum abiri. 5. Nullus locus affertur, cujus sensus litteralis vel ad solam gloriam vel ad solam voluntatem gloriæ necessariò pertineat: & longè minus excludens meritum ex gratia. Unicus favere videtur ex hac Ep. v1. 23. *Gratia autem Dei vita æterna.* Quo Oedipo nunc sciemus de executione an intentione loquatur Paulus? ipsam vitam æternam datam, non voluntatem dandi cortex litteræ præsefert. χάρισμα τοῦ θεοῦ, donativum Tertulliano, de resurr. carn c. 47. donatio ex Ariæ Montani interpretatione. Iterum canon certus est, cum æterna vita semel duntaxat dicatur *gratia*, & sexcentis in locis N & V.T. dicatur *merces*, præmium, corona, denarius &c. explicandum esse v. 23. v1. per crebriora apertiora & secum convenientiora oracula non contra. Dein (r) Augustinus cum PP. & S. Thoma nunquam adhibuêre distinctionem *intentionis* ab *executione*, *prædestinationis* ab *electione*, *totius* aut *specialis* prædestinationis, sed istam quæstionem NULLO MODO sibi videtur posse dissolvere, nisi intelligamus & ipsa bona opera "nostra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere... Itaque si vita bona nostra nihil aliud est, quàm Dei gratia; sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia "est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, TANTUMMODO GRATIA est; hæc autem, quæ illi datur, quoniam PRÆMIUM ejus est, "gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia, ut verum sit, quoniam verum est, quia redet Deus unicuique secundùm opera ejus" brevius schola dixerit, vitam æternam esse metonymicos gratiam, eo quod sit *effectus* gratiæ seu boni operis, quod opus bonum est, & fit dignum vitâ æternâ, quia à gratia Dei est. ut S. Thom. in Comm. hujus loci. Noto hanc distinctionem Augustino visam omninò necessariam & *unicam* conciliandis duabus veritatibus divinitus patefactis: unâ, quod, id quod *tantummodo gratia est*, NULLO vero sensu possit esse merces debita ex justitia iv. 4. x. 6. alterâ, quod vitam æternam bonis operibus ut coronam justitiæ reddi 11. 6. 10. APERTISSIME dicat Scriptura; unde liquet ἀδυνατον visum Augustino vitam æternam in se, ἀμισθως, ἁπλως gratiam dici. Observo præterea Paulum judice (s) Augustino potuisse dicere & rectè dicere: *stipendium autem justitiæ vita æterna*: Angelico (t) item, "quod Deus prædestinet "aliquos, *quia præscit* eos benè operaturos, & in Christum credituros.... rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantùm vitam æternam, *quæ datur meritis*," quare dignum erat (u) Majestate Romanæ sedis judicium, quo bonus postulator gloriæ adultis gratis prædestinatæ, inter fidei articulos referendæ, repulsus fuit, æmulationem gratiæ Dei habens, sed non secundùm scientiam x. 2. h. E. Cæterùm systemati & Phrasi Paulinæ & PP. aptior via videtur, prædestinatio omnium (uu) beneficiorum salutarium hujus & futuræ vitæ, quibus electi conformes fiunt imagini filii, nec ante nec post, sed cum præscientiâ gratiæ, meritorum, perseverantiæ, gloriæ innumeris Deo soli liberrimis modis, habitudinibus, gradibus dandorum. Hujus præscientiæ nulla mens creata est conscia: hujus prædestinationis prima & tota causa est Deus: ob hanc soli Deo debetur gloria. Ipsa igitur est ea ditissima liberalissima & simul sapientissima Prædestinatio. x1. 33. 34. 36.

Beggardi sæculo x111. & proximo renati Pseudomystici Falconius, Malavallius, Michael Molinosus ex v111. 26. & c. 1x. 3. ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου. Optabam enim ipse ego anathema esse à Christo pro fratribus meis. Finxerunt charitatem

(i) de prædest. SS. c. x.

(k) Petav. L. x. de Deo. c. 11.

(l) De Deo L. v111. c. 7. n. 16.

(m) de Deo L. x. c. 1.

(n) Lege apud Habertum Defensæ fidei Ecclesiæ c. x1v. §. 111. facultatis Theologiæ Parisinæ sensa de hac mater.

(o) de gratia Chr. L. 9. c. 24. & c. 17.

(p) in symbolo. pag. 260.

(q) Le disciple pacifique de St. Augustin. Tom. 2. 2. 8. 9.

(nn) Philosop. sacræ Tom. 1 cap. x1v. prop. xv. n. 20.

(r) de grat. & lib. arb. c. v111. & Ep. 105. & Enchirid. c. v11.

(s) c. 9. de gr. & lib. arb.

(t) comm. in c. v111. v. 29.

(u) 1694. 6. Februarii Brevi. Innocentii XII. P. M. in belgium misso.

(uu) S. Thom. in comm. v. 29. c. 8. h. E.

Dissert. 14. Quo sensu Paulus Anathema à Christo esse optare potuerit?

ritatem Pauli adeò ab proprii commodi, utilitatis, mercedis desiderio vacuam, ut spei cœlestis felicitatis prorsus renuntiaverit, suique damnationi æternæ acquieverit animo æqualiter utrimque libero & inclinato. Eo in statu positos non obligari ad eliciendos explicitos spei, fidei, aliarumve virtutum actus. Huic erroneæ & hæreticæ interpretationi à Summis Pontificibus opponimus Catholici, illmo Bossuetio (x) & Honorato (y) à S. Maria Carmelitâ ducibus, Paulum nullius creati boni aut mali vi à Christate Christi separandum, ejusque perennis conjunctionis certum, VIII. 38. 2. Eundem disertos actus spei formantem, orantem, patientem VIII. 15. 16. 23. 3tiò. omnes etiam perfectos contemplatores debere orationem Dominicam & symbolum: iisque innexos fidei & spei motus. 4to Renuntiare beatitudini non solùm nefas tum illicitum sed chymericum est sanæ menti. 5to Cælestibus gaudiis sub ea chymerica conditione duntaxat (si Deus dilectores sui cœlo mulctare: si ob judæorum meamve salutem id poscere vellet) licuisse Paulo, Salesio, Theresiæ, Moysi (z) *velleitate conditionatâ* quanquam hujusmodi velleitates in sanctissimis viris nullæ fuerint, nec ex iis accessio ulla fiat ad perfectionem charitatis Theologicæ. Proferimus nunc tres legitimas ἀναθέματος exegeses. 1ma. Ambrosiastri, Anselmi, Hugonis Card. Thomæ 22. qu. 27. a. 8. Quod *in statu infidelitatis optaverit* separari à Christo, & Christianis anathema fuerit ob fratres suos eorúmque legem vindicandam. 2da. Hieronymi, quod diris & malis corporeis vitæ hujus obrui optet, quò fratribus suis Deum conciliet hac capitis sui devotione. 3tia. Chrysostomi & Græcorum, quod glorioso Christi dilecti obtutu secludi VELLET charitate interim non amissâ, si hoc pacto blasphemæ murmurationes Judæorum compescerentur, Card. Toletus acerrimâ crisi ponderat hanc interpretationem: minúsque certam aliis putat: tum quod hic non ob blasphemias impediendas, sed ob salutem Judæorum votum hoc concipiatur: tum quod alienæ salutis ergo nemini fas sit renuntiare propriæ. Bossuetus tamen L. IX. p. 336. eam laudat & scholam Chrysostomi sectatorum. Demum sunt, qui ὑπερβολικῶς Paulum locutum, *affectu non intellectu*, vel *secnrum* ac salutis suæ certum nihil non apud Deum amicum pro Deo ausum faciant.

(x) Institutio de statibus orationis.

(y) Traditio PP. de contemplatione Tom. III.

(z) Photius Ep. 16. ἠυχόμην non εὐχόμαι.

Juvat videre commentantem (a) Erasmum v. 5. c. IX. ἐξ ὧν ὁ χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα· ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. Ex quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. Recitatis quas in Ecclesia Catholica didicerat expositionibus hujus loci, & variis ejusdem interpunctionibus, subjungit *locum hunc* non esse efficacem ad "revincendos Arianos: eos qui contendant ex hoc loco evidenter convinci, Christum apertè dici "Deum, aut videri aliis Scripturæ testimoniis parum fidere, aut nihil ingenii tribuere Arianis, "aut parum attentè contemplari sermonem Apostoli." Atqui id contendunt ex Græcis Athanasius, Chrysostomus, Theophylactus. Ex Latinis Irenæus, Tertullianus, Hilarius L. VIII. de Trinit. Cyprianus L. II. contra Judæos ex editione Morelii & Pamelii ex Codicibus MSS. Tò. Deus restituentium, Novatianus L. XII. & XIII. de Trinitate, Augustinus. 2dò. Omnes Græci, Syriaci, Latini codices MSS habent, *Deus* & Erasmus suspicatur vel somniat hanc vocem adjectam à studioso quopiam? Quod enim à Syro abesse *Deus* Grotius Erasmianis somniis adjicit, errat, & erroris convincitur ex Syriana (b) lectione & hac versione apud Ludovicum de Dieu. *Et ex illis conspectus est Christus in carne, qui est Deus super omnia*: ad quæ scholiastes Syrus. *Obturentur ergò*, subinsert, *ora Nestorianorum, qui eam, quæ peperit eum in carne, θεοτόκον esse negant*. 3tiò. Nexus Apostolici sermonis poscit, ut *DEUS* ad *CHRISTUM* referatur, quò persuadeatur Judæis, *idem* esse Deus super omnia, *qui* ex patribus secundùm carnem nasci debebat Christus. 4tò. Nullus PP. Erasmo adsipulatur. Chrysostomus, Cyprianus, Hilarius non tacent nomen *Deus*, & ex hoc ipso loco certant pro divinitate Christi. 5. Origines à Ruffino versus affirmat apertè hoc loco Christum super omnia Deum esse perscribi: ut eum tamen unum eripiat Catholicis, anilia quædam dubia nihil huc facientia de Origenis fide interserit: & variis interpunctionibus trahi posse hunc locum ad Patrem acutè invenit: adeoque vociferandum Catholicis contra eum non fuisse, quasi Christum spoliaret divinitate... Equidem id non valde metuimus, sed ab hujusmodi grammaticastro ex futilissimis conjecturis, ob omissam typi negligentiâ in una aliave editione unius interpretis semel aut iterum vocem, *Deus*, eripi tam illustre documentum Patribus, ne Ariani asini aut talpæ aut parum ingeniosi habeantur, hoc ego enim verò effrontis Thrasonis, novissimi Arianorum patroni, & Socinianorum prodromi esse ajo. Adoret hoc acumen Arianorum, nec in v. nec in N. T. *divinitatem* Christi videntium, si lubet: Nos eum & eos, qui eam in hoc loco non vident, ipsa cæcitate cæciores pronunriamus.

Dissert. 25. an ex v. 5. c. IX. divinitas Christi demonstretur?

(a) in annotation. in h. locum edition. basil. 1555.

(b) Animadversion. in Ep. ad Rom. Amstelæd. 1693.

Non sat habuit (a) Calvinus attribuere Divinæ absolutæ voluntati soli citra ullam culpæ præscientiam denegatam certis hominibus gratiam, quia libuit eisdem negare gloriam; sed hujus suæ impiæ blasphemiæ patronum facit Paulum c. IX. XI. & socium Augustinum. sed quàntum à Busiride & Mezentio Deus optimus maximus, tantum ab Calviniano commento Paulus distat. Cur Judæis singulis gratia fidei Evangelicæ non obvenerit, prompta & manifesta causa ex ipsis redditur, quod sectari legem justitiæ Mosaicæ præ fidei justitiâ maluerint. IX. 13. Quod Deo tota die manus gratiæ expandenti non crediderint X. 21. Propter incredulitatem fracti sunt rami. XI. 20. luce clarior est sententia Christi: IDEO (quia lapidem, Messiam, reprobastis) *dico vobis*, QUIA *auferetur à vobis regnum Dei*, & dabitur genti facienti fructus ejus. Matth. XXI. 42. Unde fit sigillatim neminem ab gratia Christi repulsum fuisse æterno decreto sine culpa præcognitâ.

Dissert. 26. Reprobationis ec. qua causa fit in nobis?

(a) L. III. instit. c. 23. n. 2. c. 22. n. 3. c. 24. n. 12.

Altera

Altera hujus Catholicæ doctrinæ ex Paulo confirmatio est: quod repulsa gentis Israeliticæ effectus sit *iræ & severitatis* (quo populari voce justitia vindex divina innuitur) divinæ: IX. 22. XI. 22. ecquis autem nisi tyrannus puniat innocentem? vindex & ultor sit, ubi scelus nullum est? Cur autem ex duobus impiis Romano, Judæo, alterutrum, hunc præ illo destituat Deus vel omni vel ampliore gratia aut misericordiâ, ratio nulla suppetit *ex nobis*, cum sint omnes æquè etsi non similiter peccatores: uti demonstravit Paulus tribus primis capp. h. e. Hic confugiendum ad βάθος profundum inexplicabilium consiliorum Dei: apud quem nulla injustitia foret, si damnaret omnes. Huc quadrant typi & exempla & parabolæ & Prophetiæ c. IX. & XI. quæ Catholici quidam incautè & periculosè transferunt ad singulorum reprobationem explicandam. Similis imprudentia est Theologorum Augustini placita de reprobatione *comparativa* hujus præ illo à gratia prima, vel efficaci, vel supremâ trahentium ad singulorum *absolutam* reprobationem involvendam potius quàm ad Deum ab suspicione injustitiæ vindicandum: *cur iis* potius (b) *quam illis* detur misericordia, quis cognovit sensum Domini! contra, ubi singulorum reprobatorum causam Augustinus inquirit, adeò certus est, Deum neminem nisi ob culpam repellere à gratia & gloria, ut quamvis invito cortice verborum Paulinorum edicat, si nullo (c) merito reprobatus est Isaac... quo modo ejus probatio *justa* dici potest? "Pari confidentiâ pronuntiat: " "Hæc massa, (d) si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid meretur, non frustra videretur *iniquitas*, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Perstat ergo sacrosanctum τὸ δικαίωμα τȣ̃ θεȣ̃ I. 32. jus divinum menti rationali insculptum." Bonus (e) est "Deus; justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest "quenquam sinè malis meritis damnare, quia justus est.

(b) ait Augustinus de bono persev. & aliis libris.
(c) L. I. ad simpl. q. 2.
(d) Ep. 186 n. 18.
(e) Aug. in Explicat. c. IX. ad Rom. & L. III. contra Jul. c. 18.

Satis apertè, opinatur Hæresiarcha, (f) ostendisse se Deum vocari omnium peccatorum autorem, quæ isti censores (Catholici) volunt otioso tantum ejus PERMISSU contingere. Simili stilo Beza, Zanchius, Sturmius, Musculus (g) & gregales Genevenses *media* reprobationis à Deo ordinata faciunt *incredulitatem*, *obdurationem*, *peccata*: agmen claudat, qui duxit caper: "Excusabiles peccando (h) haberi volunt reprobi, quia evadere nequeunt peccandi necessitatem præsertim, quum ex DEI ORDINATIONE sibi injiciatur hujusmodi necessitas. Nos "verò inde negamus excusari." Secedamus ab hac camerina pestilenti in salubrius Catholicum cœlum. Septem modis PP. (i) cor obduratum divinæ voluntati attribuunt: ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει. IX. 18. primò, non impertiendo malitiam, sed non largiendo gratiam. 2dò. Non largiendo tantam ac talem gratiam, justo, sed secreto judicio. 3tiò. Non statim puniendo, corripiendo. 4tò. Non puniendo in hac vita, sustinendo vasa iræ in multa patientia IX. 21. 5tò. Tribuendâ indole ferventiore, acriore, vehementioribus motibus παθεσι obnoxiâ. 6tò. Dandis magnis donis naturalibus aut supernaturalibus, viribus corporis, animi, regno, opibus, prophetiâ, miraculis. 7mò. Permittendis immittendis tentationibus internis externis. In quatuor primis est subtractio boni, in tribus postremis donatio cujuspiam boni ex fine optimo sapientissimi gubernatoris, sed abusu ingrati hominis in perniciem propriam conversi. Causæ autem cur sic & non aliter sit interpretandum excæcatum & *obduratum* cor, aut quod Deus neminem ad malum alliciat, impellat ὁ γὰρ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν Jacob. I. 13. tum, quod omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. ad Tim. II. 4. demum, quod Paulus græcè & latinus Pauli & Mosis interpres passivè vertit induratum est cor Pharaonis, vel activè: Deus.. quem vult, indurat, id primigenius hebræus neutro reciproco והכבדאת-לבו aggravavit Pharao cor suum Exodi VIII. 15. & LXX. ἐβάρυνεν αὐτȣ̃ τὴν καρδίαν, καὶ τȣ̃ θεραπόντων αὐτȣ̃. Exod. IX. 34. Ipse & servi sui cor suum obfirmarunt, aggravârunt. Docet nunc rationem pietas, hasce locutiones proprio; illas metaphorico accipiendas. Vulgaris enim usus, quem penes arbitrium est & jus, & norma loquendi, *occasionem* pro causâ sumit: quâ figurâ herus servo (k) exprobare solet, quod eum indulgentiâ & beneficiis pejorem fecerit. Valentiniani hinc Pharaonem χοϊκὸν, naturæ necessitate malum; Marcion Deum malorum autorem; Calvinus peccati non ordinatorem, ut Augustinus, sed causam vi insuperabili impellentem fecerunt. Nempe ex eodem flore apes mella, aranei venena conficiunt. Constat enim sibi Prophetia Petrina, Epistolas Pauli ab indoctis & instabilibus, Hæreticis, depravari, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. II. Petr. III. 16.

(f) L. I. institut. Calvini c. 23. §. 3.
(g) apud Sandæum de præd. & reprob. L. I. c. X.
(h) Calvin. L. III. instit. c. 23. §. 5.
(i) Aug. serm. 88. de tempore & qu. 36. in Exod. Theodor. qu. 12. in Basilius in orat. quod Deus non mali autor apud Peterium disp. 11. in c. 11. h. Ep.
(k) Origenes philocatiæ c. IX. & XX.

Dissert. 28. Permissio peccati utrum oriatur à voluntate reprobante.

In reproborum cordibus peccata, & tenebras & duritiem & in perverso proposito obstinationem permitti à Deo experimur: utrum autem Permissio hujusmodi sit effectus reprobationis, variant Catholici. Nobis ex verbo Dei probabilior videtur negantium sententia: eo quod reprobatio sit actus iræ, id est, justitiæ æternam pœnam peccatis immortuo destinantis; unde Eximius "(l) Tournelius, si propriè ait, & accuratè loqui velimus, nullus est in hac mortali vita effectus "illius divinæ voluntatis, quâ homines reprobantur à gloria: à morte ipsa duntaxat hi effectus "incipiunt, cùm reprobus incipit pœnas luere. 2dò. Cum gratiæ sufficientis datio profluat ex verâ sincerâ voluntate salvandorum omnium, duriusculum videtur quempiam donari gratiâ *merè sufficiente*: eo quod hunc Deus destinet æternæ pœnæ? profectò hæc datio pœna potius foret, quàm benignitatis Dei, *ad pœnitentiam te adducentis* beneficium II. 4. punit Deus quandoque peccatum permisso fœdiore lapsu I. 27. sed & hæc permissio non est pœna duntaxat, sed simul effectus divitiarum bonitatis & patientiæ & longanimitatis Dei, quas impii contemnunt II. 4.

(l) Tomo II. de Deo qu. 23. a. 3.

3tiò.

3tiò Generatim Paulus omnibus, dum in via sunt, spem vitæ, impiis spem ad olivam gratiæ, à qua exciderunt, denuò redeundi facit. XI. 23. 24. Maignanus (m) ostendit B. Thomam ab hac parte stare 1. p. q. 23. a. 3. Nec ex eo, quod cum reprobatione conjuncta sit permissio peccati, fieri, ut hæc illius sit effectûs. Derelictionis enim causa Deus non est, priùs ab homine quàm desertus fuerit.

(m) Philosoph. sacræ cap. XIV. prop. VIII. p. 369. 370.

Diss. 29. ex cap. IX. reprobatio negativa non eruitur.

Scholastici Catholici quidem ex c. IX. conati sunt tribuere Deo voluntatem hominum absque omnis culpæ præscientiâ ab æterna gloria excludendorum: doceri id exemplis Ismaelis & Esavi benedictione Abrahamitica spoliatorum, ante boni aut mali quidpiam quam hic egisset: nec in massa inesse causam ullam, cur vas aliud præ alio pretioso vilive usui fingatur. Displicet vehementer aliis Catholicis hæc opinio. Illmus Tutelensis Episcopus affirmat Estii opinionem carere (n) omni fundamento in Scriptura & apud sanctos Patres. Jos. (o) Tricassinus putat eam Arausicano II. Valentino & Carisiaco conciliis prædamnatam. Gravesonus (p) fatetur capere se non posse, quo pacto cum sanctissimi Præceptoris sui (Thomæ) doctrinâ cohærere & conciliari possit doctrina Alvarezii, Joannis à S. Thoma, Contensoni fratrum suorum, quibus opponit Capreolum, Cajetanum, Ferrariensem, Nazarium, Goudinum ὁμοψηφους. Pennotus eam sibi nullo pacto probabilem (q) videri, & alias aliorum diras criminationes ex orthodoxis Theologis collectas scribit. Nos censoris virgam nobis non arrogamus, & ratione ex Verbo Divino mutuata cum Thomassino, Petavio, Gamachæo, Maignano, Grandino, Tournelio, argumentamur 1mò. Cælo excludi (*discedite à me*) maxima & prima pœna est in hoc ordine rerum nobis hujus mundi indigenis: nemini igitur justus Judex sine culpæ præsensione paradisum occludere decrevit. 2dò Deus vult omnes salvos fieri, neminem igitur suopte solo lubitu salute abdicat. atqui una salus est in Deo videndo & fruendo. 3tiò Perditio tua Israel Oseæ XIII. 8. Quærimus causam prædestinationis & non invenimus: ait Aug. (r) quærimus autem causam obdurationis, & invenimus. 4tò Intelligentia cap. IX. pendet ex scopo Pauli: κρινομενον non erat, eccur Judæi Abrahamitici sanguinis hæredes rejicerentur ab gratia Christi: sed *cur Judæi præ gentibus* Abrahamo non satis? cùm illi præ his digni & digniores sibi gratia Christi viderentur. Respondet Paulus ambos indignos gratia Christi esse. c. I. II. III. subin Capitibus IV. V. VI. VII. VIII. gratiæ Christi illustrandæ comparationes cum peccato Adæ, Lege Mosis, concupiscentia instituit; effecta, adjuncta, causas enumerat. Demùm c. IX. gentibus præ Israelitis licet utrique capti conclusi vinculo peccati tenerentur, donavit Deus gratiam fidei tantâ misericordiâ, liberalitate, quantâ Isaaco & Jacobo hæreditatem Abrahæ præ fratribus, quantâ figulus vas esculentum præ culinario ex massa eadem format. En profundum misericordiæ & justitiæ inter duos æquè reos: "Investigabilis est Dei misericordia, ait (s) Hipponensis, quæ cujus "vult, miseretur nullis ejus præcedentibus meritis, sed cum eo, cujus miseretur, plerumque "communibus." Quoties autem singulorum reprobationi accommodant cap. IX. doctrinam Augustinus Magister Sentt. & Thomas, pro certo ponunt *Massa* significari genus humanum noxâ originis infectum: sed uti hæc quæstio ab Paulo agitata non fuit, sic applicatio doctrinæ nonnihil ab sensu litteræ abit.

(n) Comment. Histor. de prædest. & reprobat. p. 14.
(o) de prædest. hom. ad gloriam p. p. Sect. VIII. §. 1.
(p) part. III. Ep. 9. p. 196.
(q) L. VII. propugnaculi Lib. hom. c. 3.
(r) Ep. 105.
(s) de dono persev. c. XI.

Diss. 30. Utrum doceamur ex c. IX. æternam sortem Ismaelis & Esau?

Esau nonne odio habitus fuit, adeóque *cœlesti gloria* exclusus ante mali quid quàm egisset? fueritne? nunc non disputabo. Paulum id scripsisse vel sensisse prorsus nego. Primùm sciscitor, unde id Paulus scivit? nec enim in N. aut V. fœdere id aperuit homini Deus? 2ò Cur Paulus alio sensu Malachiam laudet apud Judæos, quàm quo ipse Malachias se locutum esse profitetur. *Esau autem odio habui? & posui*, interpretatur ipse se Prophetes, *montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deserti.* à notis Paulus fidem conciliat novis, & ad eam diem non patefactis mysteriis. Quod Esavo primogenito Abrahæ nepoti abrogata fuerit hæreditas avita & jus primogeniti, & sterilis aspera montosa Idumæa loco Chanaanitidis substituta, norant Israelitæ; cælone fuerit mulctatus? ignorabant. Ex illa igitur non ex hac notitia ratiocinatur Apostolus, & αλληγορικως Judæos primogenitos gentibus serius licet à Deo ad gratiam fidei vocatis postpositos concludit. Hactenus Toletus, Pererius (t) Dargentreus. similis est non eadem sors Ismaelis & Esavi, quæ Judæorum excæcatorum." Uti Jacob (u) *cum Petavio loquor*, nullis "suis meritis divinum illum favorem obtinuit, fratri ut suo anteponeretur; quo ex favore & gra-"tia promissam Palæstinæ regionem pinguem & uberem est adeptus: Esau verò nullis item meritis "suis hoc infortunio percussus est, ut sterilem & incultam solitudinem possideret. Sic & olim "Judæorum populus nullis suis officiis hanc à Deo gratiam meruit, ut Legis & Sacramentorum "& regni Dei compos & hæres esset, cùm cæteræ nationes infidelitatis tenebris damnatæ essent. "Vicissim verò postea gentilium populum nullis itidem ipsius meritis provocatus Dominus ad "idem decus evexit. De sempiterna porro vel amborum fratrum vel utriusque populi salute nil "istic agitur. Non enim aliud tam exemplo isto Isaaci filiorum quàm superiore Ismaelis & "Isaaci probare voluit Apostolus"

(t) Comment. histor. L. cit. de prædest. & repr.
(u) L. X. de Deo uno c. I.

Diss. 31. Necessariam missionem esse Prædicaturis verbum?

Bucerus infelix cometes, postquam horizonti Bonnensi apparuisset, quæsitum fuit, quo Jove missus fuisset? Delecti jubente Venerando Capitulo Metropolitico Theologi Libello (x) oblato Hermanno à Weda, docuerunt ex verbo Dei vocatum eum nequaquam fuisse ad hoc munus. *Quomodo autem prædicabit nisi missus?* X. 15. Hoc uno loco jugulatur omnis pseudapostolus. Si enim nec abs Deo, nec abs Dei Vicario missus es, quo jure vis prædicato à te Evangelio fidem divi-

(x) subjuncto antididagmati, latino & germanico idiomate de vocatione Buceri.

nam

nam adhiberi? Christus à Patre Deo missum apud Jordanem Matt. III. 17. in monte excelso. Matt. XV. 5. in mediâ turbâ discipulorum & populi, Joan. XII. 18. cœlestibus portentis, & innumeris miserorum gratiâ patratis miraculis demonstravit. Similem potestatem naturâ majorem impertiit discipulis χαρακτηριστικὴν divinæ missionis, quam disertis formulis, unà cum præceptis peculiaribus imposuit. Matt. X. 1. Luc. X. 3. Apostoli in fronte Epistolarum suarum statuunt Legationis suæ autorem Christum, *per quem accepimus Gratiam & Apostolatum ab obediendum fidei in omnibus gentibus.* 1. 5. Hic perpetuus & universalis mos Ecclesiæ Christi, nemo ut in ea prædicet Verbum Dei, nisi ordinariâ potestate aut extra ordinem divinitùs missus. Cujusmodi nunc est, edicite Luthere, Calvine, Zvinglie, Oecolampadie, Bucere, missio vestra? liceat bonâ vestrâ veniâ eum (y) Tertulliano vos interrogare. " Qui estis? quando & unde " venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique *jure Luther* sylvam meam cædis? quâ " licentiâ Calvine fontes meos transvertis? quâ potestate, *Bucere*, *Trigame*, θρικέρως, *ter & " amplius Apostata*, *ab Augusto & Pontifice hæreseos convicte & damnate* limites meos commoves? "... Ego sum heres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut " adjuraverunt, ita teneo" huic molestæ quæstioni satis ut apud plebem non omninò stultam faceret Lutherus, causas vigesies & amplius varias suæ missionis veriditavit ex scripturis non dicam falsatis, sed in omnium tumultuantium & Ecclesiasticæ potestati perduellium gratiam impiè contortis: cùm ex baptizatis omnibus mulieribus, pueris, Sacerdotes, Prophetas, Apostolos, Reges creat, eosdem nunc à Deo, à populo, ab privato instinctu, ex certa scientia, demum *à nemine*, *motu proprio*, nunc oppositis & pugnantibus modis vocatos ait, negat, fingit aut somniat: adeò ut nisi in Operibus Witteberga & Jenæ expressis hæc legerentur, quæ Cochlæus, Emserus, Eckius, Pistorius narrant, quæ nostrates Scriptores Gortichemius (z) ante Lutherum, & sæculo eodem Cremerius, Matthisius, (a) Koningstein (b) Braunius Decanus B. M. V. ad Gradus, (c) tum Illmi Suffraganei (d) nostri Walenburchii justo & pleno opere retulerunt & confutarunt, crederet nemo fanaticum talem Vertumnum fuisse Martinum. Nunc penes Laicos volunt esse autoritatem vocandi & mittendi sui generis Apostolos. At Grotius, quem apud adversarios certissimum & locupletissimum testem nunc laudabo, negat Pastores à plebe electos in N. Testamenti Historia, nec popularis electionis vestigium Actor. I. 23. VI. 3. XIV. 22. à se repertum: igitur *contra scriptum Verbum Dei* faciunt, qui ex *solo* Verbo Dei ministros à se deligi mentiuntur. Faciamus etiam populo vel Magistratui electionem personæ (*Jus Patronatus*) Ecclesiæ indulgentiâ quandoque permissum fuisse, at ordinatio χειροτονία, facultas clavium, Verbi Dei, & Sacramentorum ministrandorum nonnisi à Christo, Christive Apostolis, & horum Successoribus manare & derivari potuit. Valet enim ea interrogatio (quomodo prædicabunt nisi mittantur) tantundem ac absoluta inficiatio.

Ambrosiaster, Estius, Cornelius à Lap. volunt Davidem de solis materiatis cœlis cogitasse & cecinisse, *Sonum eorum in omnem terram exivisse:* quod Paulus allegorico & mystico sensu transtulit ad prædicandum orbe toto Evangelium. Sed pace tantorum virorum dixerim, si sola allegorica allusione convincere Paulus voluit Israelitas prædicti Evangelii, cui proin obedientiam debeant, nihil egit. " *Probatio* (e) enim ut eruditi cum Dionysio statuunt) *per scripturam non valet nisi secundum sensum litteralem ut Augustinus frequenter commemorat.* " si autem sensus litteræ Davidicæ etiam sonum Evangelicum complexus sit, ergo prophetia fuit, quâ, ut invicto apud Judæos telo ex eorum pharetra deprompto obstinatos prosternebat. Eam prophetiam geômetrico sensu impletam fuisse primo sæculo etiam ante Solymam eversam, scripserunt Chrysostomus, Euthym. Theopyl. & Beda in Marc. c. XIII. apud Maldonatum (f) ex ℣. 14. c. XXIV. Matthæi: ubi *ante consummationem* prædicandum Evangelium regni in universo orbe legimus. Præferimus tamen plurium interpretationem de *Orbis* non de *Urbis* excidio illic agi: tantúmque abesse primo ut sæculo, ut ne hoc quidem XVIII. sæculo in omnes orbis gentes divulgatum Evangelium putemus, quod ante secundum Christi Adventum mathematico stilo verum fiet. Primo autem sæculo in omnes Israelitis & Romanis notas regiones & ultra prolatus fuit sonus Apostolicus, ut excusatio nulla Israelitæ superfuerit ignoti Evangelii: in quem finem oraculum Davidicum hoc c. X. Paulus adhibuerat. Hæc facti, Juris istud; quod Catholica per οἰκουμένην γῆν publicatio vocis Evangelicæ sit disertè promissa & præstanda Ecclesiæ Christi, ejusque sit nota characteristica & propria. tum ex hoc loco tum ex Matth. XXIV. 14. XXVIII. 19. Marc. XV. 15. Lucæ XXIV. 47. Denique contra (ff) Launoium asserimus post Natalem Alexandrum (g) Franc. Pagi, & Longuevallium (i) primo sæculo Germaniis & Galliis intonuisse vocem Evangelicam. *prob. 1.* Fides Romanorum annuntiabatur in universo mundo I. 8. quod de mundo vel orbe Romano accipere cogimur, si verum Paulus scripsit & parcissimi ac religiosissimi in exponendo simus: intra orbem autem Romanum Galliæ & utraque Germania erant. *2. prob.* Ultra Romanum orbem in Scythas, Parthos & Æthiopas prolata fuit vox Evangelica primo sæculo teste Eusebio L. II. Hist. Eccl. c. III. L. III. c. I. IV. & nobis militari & civili quotidiano Romanorum commercio utentibus ignotum fuerit, quod in urbe sanguine & voce & manu celebrabatur? *3. prob.* Κρῆσκης εἰς γαλατίαν crescens in Galliam abiit II. ad Tim. IV. 10. quorsum nisi Evangelii causâ! Hæc de Gallia occidentali universim & ἁπλῶς tres doctissimi Græci plus satis interpretantur Eusebius, Epiphanius, Theodoretus. Et Launoius post 13. sæcula

(y) de præscription. c. XXXVII.

(z) Tr. contra Hussitas prop. 3.

(a) comment. in h. locum.

(b) enarratione in h. locum.

(c) Defensio Cathol. Tremon. causa X. 1. Tom. I. Tract VIII. Diss. 32.

Prophetia an allegoria sit ℣. 5. ps. XVIII. quatenus vera primo sæculo? an eo in Germanias & Gallias exierit vox Evaugelii.

(e) Dion. Carthus. Enartat. in Ep. ad Rom. c. IX. ℣. 28.

(f) Comment. in c. 24. Matt.

(ff) Disjunctione Ep. Illmi de Marca. & vindiciis Sulpitii & Gregorii Tom.

(g) dissert. XVI. in I. sæcul.

(h) in diss. prævia Tom. I. Chronici Pontificii

(i) dissert. prælim. ad hist. Eccles. Gallicanæ.

cula cuperet id falsum esse, uti sibi videtur, sed argumentis, non præ conceptis arbitrariis effugiis agendum. *Prob. 4.* Gregor. Turon. de Gloria Confess. capp. 4. 27. 30. 80. de gloria Martyrum L. 1. c. 56. de miraculis L. 1. c. 12. clarissimis verbis confitetur fidem primo sæculo Galliis illatam. Videat nunc Launoius, qui has & ἀντιλογίας, si quæ sint, conciliet! Nostra enim nil refert. *Prob. 5.* Episcopi Provinciæ Viennensis libello Leoni PP. idem testantur, cujus vindicias lege apud eruditissimum Ant. Pagi (k) Jam nec Gregor. Turon. nec Sulpitium nec Innocentium I. huic opinioni contradicere ex ipsis horum verbis simplicissimè expositis demonstrat Franc. (l) Pagi; nihil ut ab verboso Launoio metuendum sit, aut ab omnia tuta timente Tillemontio (m)

Quesnello comminiscenti *discrimen* (n) fœdus Judaicum inter & Christianum esse id, *quod in illo Deus exigat fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in ista verò Deus peccatori det, quod Deus jubet;* opponimus Paulum ex Isaia conciionantem de Deo, tota die (Legis Mosaicæ per sedecim sæcula Chanaanitidem illustrantis) expandentem manus suæ beneficentiæ & gratiæ ad populum tam pio Domino non credentem, & ut ex LXX. Paulus addit, *Contradicentem* abutendis donis largâ manu oblatis & datis. Hæc interpretatio Hieronymi, Chrysostomi, & qui vetustiores collegit, Primasii, Anselmi & Thomæ apertissima est, & Paulinæ menti convenientior quàm ea, quæ ad solam prædicationem vel mortem Messiæ fixis & pansis in Cruce brachiis obitam hanc profusam liberalitatem restringunt. Interim non est dissimulanda difficultas in phrasibus Paulinis ad exactam orthodoxam sententiam conformandis. *Lex iram operatur: subintravit, ut abundaret delictum: occidit: operatur omnem concupiscentiam: est ad mortem: Lex mortis:* unde Marcion & Manichæus (o) argumentati sunt Legem eam à malo principio esse " Jansenius, (p) Non abfuisse hominibus sub " Lege viventibus gratiam *sufficientem* servandæ legis, sed potiùs *impedientem.* Statum V. T. " ut talem non fuisse justitiæ & salutis, sed potiùs peccati & mortis " Catholici contra Dei & Divinæ Legis patroni, Augustinus Hipponensis, Petavius (q) Em. de Bissy, (r) Illmus Suessionensis (s) Langvetius secernendum esse officium Legis & providi Legumlatoris opponunt. Legi enim cuivis in quoliber statu latæ puta huic, *Diliges Deum ex toto corde*, in N. T. denuò promulgatæ perinde convenit ac Mosaicæ *Littera occidit:* spiritus vivificat: quod post Angelicum 1. 11. q. CVI. a. 7. Suarez (t) insigni accuratione in leges omnes quadrare docet. Est enim universalissimum axioma (u) Augustinianum " Lex sine gratia sola littera est: manet ad convincendam iniquitatem, non ad dandam salutem." Paralogismus Yprensis est, quod ex solo munere Legis metiatur statum illorum, qui legi parent. Lex non est gratia, nec ex se dat gratiam. Utrum verò ii, qui legi subsunt, aliunde adjuti fuerint ad legem observandam, alterius loci quæstio est, de quâ ex officio vel statu legis secundùm se consideratæ decidendum non est. Lex vetus *occasio* fuit irritandæ concupiscentiæ, augendi peccati, atque adeò mortis spiritalis & corporeæ ob supplicia lege dictata: propterea accusanda lex est? quasi verò Lex Evangelica & Christus ipse non fuerit, & adhuc sint hæreticis, idololatris, & malis petra scandali! IX. 32. 33. Credamus & speremus, & amemus eum, qui (x) impossibilia nunquam ulli atque adeò nec Israelitis jussit, sed jubendo monuit, ut faceremus, quod possumus, & peteremus id quod non possumus, & adjuvat tota die vitæ nostræ, quâ lex illuminat oculos, expansis explicatis pietatis & misericordiæ suæ manibus: & comperiemus dulcia faucibus nostris eloquia divina super (y) mel & favum, super aurum & topazium: nec ulli amanti gravia ejus mandata esse. 1. Joan. v. 3.

Vexata (z) quæstio: *Ubi terrarum & gentium fuerit ante Lutherum Ecclesia Protestantium?* his postremis sæculis haud segniùs exercuit Lutheranorum Ingenia, quàm sæculo secundo & tertio Marcionitas, Valentinianos & hujus farinæ natos heri aut pridie novitios hæresum satores exagitavit Tertullianus " Ubi tunc (a) Marcion, Ponticus Nauclerus Stoicæ studiosus? ubi " tunc Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos neque adeò olim fuisse Antonini fere " principatu? ... Tam diu utique regnavit error, quamdiu hæreses non erant! aliquos Mar- " cionitas & Valentianos liberanda veritas exspectabat" Opportunè hic Elias velut è machina allapsus adest, & testatur se *solum* in toto orbe relictum veri Dei cultorem, & penes se unum residere totam Israelis Ecclesiam, XI. 3. quare nemo miretur sæculis XV. invisam ac inauditam fuisse Lutheri Ecclesiam, fortè penes unum, fortè an & penes neminem fuit! Miseret me imprudentiæ adversariorum, qui nec ipsi Deo, errorem Eliæ corrigenti, & 7000. Israëlitarum fidelium, præter regnum Judæ conspicuâ tum religione celebratissimum, extitisse testanti auscultant. Sanè si unquam, tum Eliæ sæculo sub Asa & Josaphato floruit triumphavitque Mosaica Ecclesia: Christi autem regnum vel primo sæculo, Ecclesiis quaquaversum (b) fundatis, ampliatis, aliasque atque alias ex se progignentibus in omnium oculos incurrebat, facilius ut (c) fuerit Judice Chrysostomo, solem extingui quàm Ecclesiam obscurari. Plena est earum enumeratione N. T. historia, quare iis recensendis supersedemus, ne soli lucernam apponamus. Eadem claritate per sæcula XVII. affulsit omnibus, quotquot sibi oculos non eruerunt, nec eos in meridie claudunt. Eruitur hæc veritas ex cap. X. h. e. DIVES est DEUS in omnes se piè invocantes & quærentes: quod ex Joele Paulus Basin facit suæ ratiocinationis: vult ergo se invocari; invocare nemo Deum potest nullâ fide imbutus; fidem non hauriemus nisi audientes; ecquem verò audiemus nemine prædicante Verbum Dei? prædicandi officium nemo sibi sumet nisi à Deo missus: unde

(k) in critica Baron. in A. C. 401. n. 46.
(l) loc. cit.
(m) Histor. Eccl. Tom. 1. not. 81. in S. Paulũ.
Diss. 33. De gratia sub Lege Mosaica.
(n) ex damnatis 101. 6. 7. 8va.
(o) Tertull. adv. Marcion. L. V.
(p) L. III. de grat. Christ c. 7. 8. 9.
(q) L. X. de Deo uno c. 21.
(r) Tractat. Theologica in 101. propp. p. 160.
(s) Ep 4ta pastoral. § 78.
(t) L. 10. de Legg c. 7. n. 13.
(u) enarrat in psal. LXXX.
(x) Tridenf Sess. 6. cap XI.
(y) psal. XVIII. 11.
Diss. 34. Fuerittne an esse possit invisibilis Ecclesia?
(z) à Foreto nostro Ambergæ 1653. edita
(a) Tertull. præscrip. c. 29. 30.
(b) vide cap. ult. hujus Ep.
(c) Hom. 4. in c. 6. Isaiæ.

(d) vide Illmi Bossueti variam fidem protestantium.

unde conficit ad Divinæ Providentiæ sapientiam pertinere, ut vox Evangelica in omnem terram in omnes gentes omnibus diebus usque ad finem conspicui hujus mundi diffundatur. Semper igitur clarissima in luce erit veri Dei Ecclesia, sine ulla lucis eclypsi, quarum tot subeunt heterodoxi, quot mutationes (d) hoc est innumeras inter se dogmatum vices proximis duobus sæculis sibi mutuo exprobrant.

Differt. 35. de origine mali & peccati.

Rationem permissi lapsus, cæcitatis & obstinationis Israeliticæ contra Messiam suam nonnulli referunt ad potestatem supremi dominii: de quo nos non dubitamus. Ἀνεύθυνος est Deus, rationibus suarum actionum reddendis non obnoxius, quò spectat massæ & figuli comparatio apta compescendis responsantibus & obtrectantibus Judæis. Alii arbitrariam voluntatem Dei usque eò evehunt, ut quidquid ei visum fuerit, id justum sit, nec eâ alia, aut anterior, aut immutabilis sit idea justitiæ virtutis, fidelitatis: proin ulteriorem rationem inquirendam non esse. Sed si justitiæ & sanctitatis notio pendeat ex solâ *despotica* voluntate, nulla erit laus divinæ bonitatis aut sapientiæ... Neque demum ex humanæ libertatis aut justitiæ vindicis notione permittendi peccati sufficiens ratio elicitur.... Nobis autem ex cap. XI. n. 12. 13. 14. aptissima colligi videtur hæc. Sapientiam divinam repræsentâsse bonitati, ex casu Judæorum viam sterni ad benedictionem Messiæ in gentes & omnem orbem transferendæ: illorum *delicto salutem* aperiendam gentibus, illorum *casu ditandum* & locupletandum mundum, hinc vicissim accendendos Judæos ad imitandam gentium fidem; atque ità complendum numerum electorum civitatis cœlestis. Corroboremus id ex c. v. 10. Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia: deducemúrque in eam sententiam: ordinem rerum, quem peccatum ingreditur, meliorem esse eo ordine, à quo peccatum omne abest. In eam Augustinus & gravissimi ultimorum sæculorum scriptores devenêre, cum indagarunt originem mali in universo condito ab optimo sapientissimo justissimóque artifice. MELIUS JUDICAVIT Deus, effatum est Augustini, de (e) malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere. Neque.. Deus (e) omnipotens, cum summè bonus sit, sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeò esset omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam de malis." Eandem rationem tertiò reddidit Doctor gentium c. IX. 22. 23. sustentata ajens, *ideò*, vasa iræ dudum licet apta in interitum, *ut* ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Hoc pacto Deus antecedente voluntate odit omne malum, sed ex sapientiæ suæ consilio admittit aliquod in parte, unde totius perfectio major exurgat. ὦ βάθος πλούτου καὶ σοφίας.

(e) Enchiridii c. XXVIII. c. XI.

Differt. 36. Israelitæ omnes salvandi sub mundi finem

Israelitas Abrahamitico sanguine cretos *omnes* sensu pleno & absoluto post plenitudinem gentium Christo adscriptam sub mundi finem superstites *salvandos*; videtur Tostato *melior* (f) & *magis conveniens* scripturæ sententiæ, præ eâ quæ ad certum numerum duntaxat *omnes* restringit. Nam illa interpretatio *Israelitarum* sensu tropico & mystico pro iis, qui Israelis fidem imitabuntur salvandis, Salmeroni, (g) *imperita* & Estio hic evertens sensum Paulinæ Litteræ multis ostenditur. Primam nos tuemur ut probabilem admodum post Chrysostomum (h) cum schola sua, Augustinum, Gregorium (i) Bedam in Marc. IX. Aquinatem. Corroboramur variis prophetiis V. T. quas refert Acosta L. II. de Tempor. novissimis; potissimum illâ Servatoris nostri. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia* Matth. XVII. 11. qua de Augustinus: (k) Per hunc Heliam magnum mirabilémque Prophetam expositâ sibi lege ultimo tempore ante judicium Judæos in Christum verum, id est, in Christum nostrum esse credituros celeberrimum est in sermonibus cordibúsque fidelium. Cap. proximo hanc Judæorum fidem futuram *inter credenda* numerat. Meritò igitur vapulant Faber & Oecolampadius apud Salmeronem l. c. veluti temerarii Catholicæ traditionis arrosores. Tentavit denuo Grotius hunc Eliæ κατὰ τὸ ῥητὸν proprium ac physicum reditum & ἀποκατάστασιν restaurationem fidei & salutis Israeliticæ inter fabulas plus æquo credulorum interpretum rejicere: sed decretorium est Augustini sæculo quarto & quinto testimonium de hujusmodi communi Ecclesiæ traditione: nec ullum momenti aut ponderis majoris argumentum aut abs Grotio aut ab Acosta, Pererio, Suarezio opponitur quin feliciori Minerva diluatur ab sententiæ nostræ patronis.

(f) qu. 136. in c. 17. Matthæi.
(g) disput. 36. in h.
(h) Hom. 58. in Matth.
(i) L. 35. mor. c. 9.
(k) Lxx. de civit. c. 29.

A. M. D. G.

cula cuperet id falsum esse, uti sibi videtur, sed argumentis, non præ conceptis arbitrariis effugiis agendum. *Prob. 4.* Gregor. Turon. de Gloria Confess. capp. 4. 27. 30. 80. de gloria Martyrum L. 1. c. 56. de miraculis L. 1. c. 12. clarissimis verbis confitetur fidem primo sæculo Galliis illatam. Videat nunc Launoius, qui has & ἀντιλογίας, si quæ sint, conciliet! Nostra enim nil refert. *Prob. 5.* Episcopi Provinciæ Viennensis libello Leoni PP. idem testantur, cujus vindicias

(k) in critica Baron. in A. C. 401. n. 46.





diemus nemine prædicante Verbum Dei? prædicandi officium nemo sibi sumet nisi à Deo missus:

unde